OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS VERSALIENSIS

PARS AUTUMNALIS

FA
4I
270

TYPIS SOCIETATIS S. JOANNIS EVANGELISTÆ

DESCLÉE & Socii

S. Sedis Apostolicæ et Sacror. Rituum Congregationis Typographi

ROMÆ, TORNACI, PARISIIS

Scanné avec CamScanner

KALENDARIUM PERPETUUM

PRO CLERO

DIŒCESIS VERSALIENSIS

PARS AUTUMNALIS

AUGUSTUS

28 S. Augustini Ep., Conf. et Eccl. Doct., *duplex*. Com. * Octavæ S. Ludovici et S. Hermetis Mart.
29 Decollatio S. Joannis Baptistæ, *duplex majus*. Com. * Octavæ S. Ludovici et S. Sabinæ Mart.
30 S. Rosæ Limanæ Virg., *duplex*. Com. * Octavæ S. Ludovici ac Ss. Felicis et Adaucti Mm.
31 S. Raymundi Nonnati Conf., *duplex*. Com. * Octavæ S. Ludovici, ac * B. Isabellæ Virg.

SEPTEMBER

1 * Octava S. Ludovici Regis, *duplex majus*. Com. S. Ægidii Abb. ac Ss. Duodecim Fratrum Mm.
2 * Bb. Joannis Mariæ du Lau, Francisci Josephi de la Rochefoucauld, et Petri Ludovici de la Rochefoucauld, Pontificum, ac Sociorum, Mm., *duplex majus*. Com. S. Stephani Hungariæ Regis, Conf., *(semiduplex)*.
3 * S. Juliani Brivatensis Mart., Patroni Civitatis Versaliensis, *duplex majus*.
(In Civitate Versaliensi Festum S. Juliani Brivatensis celebrabitur ab universo clero etiam regulari sub ritu I classis cum Octava communi; — sine Octava pro regularibus proprium kalendarium sequentibus).
4
5 * S. Æterni Ep. et Mart., *duplex*. Com. S. Laurentii Justiniani
6 Ep. et Conf., *(semiduplex)*.
7 * S. Clodoaldi Conf., *duplex*.
8 NATIVITAS B. MARIÆ VIRG., *duplex II classis* cum Octava
9 * simplici. Com. S. Hadriani Mart.
S. Corbiniani Ep. et Conf., (e die hesterna), *duplex*. Com. S. Gorgonii Mart.

Scanné avec CamScanner

10 S. Nicolai a Tolentino Conf., *duplex.*
11 Ss. Proti et Hyacinthi Mm., *simplex.*
12 Ssmi Nominis Mariæ, *duplex majus.*
13
14 Exaltatio S. Crucis, *duplex majus*
15 Septem Dolorum B. Mariæ Virg., *duplex II classis.* Com. S. Nicomedis Mart.
16 Ss. Cornelii Papæ et Cypriani Ep., Mm., *semiduplex.* Com. Ss. Euphemiæ et Sociorum Mm.
17 Impressio sacrorum Stigmatum S. Francisci Conf., *duplex.*
18 S. Josephi a Cupertino Conf., *duplex.*
19 Ss. Januarii Ep. et Soc. Mm., *duplex.*
20 Ss. Eustachii et Sociorum Mm., *duplex.* Com. Vigiliæ.
21 S. Matthæi Ap. et Ev., *duplex II classis.*
22 S. Thomæ de Villanova Ep. et Conf., *duplex.* Com. Ss. Mauritii et Sociorum Mm.
23 S. Lini Papæ et Mart., *semiduplex.* Com. S. Theclæ Virg. et Mart.
24 B. Mariæ Virg. de Mercede, *duplex majus.*
25
26 Ss. Cypriani et Justinæ Virg., Mm., *simplex.*
27 Ss. Cosmæ et Damiani Mm., *semiduplex.*
28 S. Wenceslai Ducis, Mart., *semiduplex.*
29 DEDICATIO S. MICHAELIS ARCHANGELI, *dupl. I classis.*
30 S. Hieronymi Presb., Conf. et Eccl. Doct., *duplex.*

OCTOBER

1 * S. Remigii Ep. et Conf., *duplex majus.*
2 Ss. Angelorum Custodum, *duplex majus.*
3 * S. Teresiæ a Jesu Infante Virg., Patronæ minus principalis Galliæ, *duplex II classis.*
4 S. Francisci Conf., *duplex majus.*
5 Ss. Placidi et Sociorum Mm., *simplex.*
6 S. Brunonis Conf., *duplex.*
7 Sacratissimi Rosarii B Mariæ Virg., *duplex II classis.* Com. S. Marci Papæ et Conf., ac Ss. Sergii et Sociorum Mm.
8 S. Birgittæ Vid., *duplex.*
9 * Ss. Dionysii Ep. et Sociorum, Mm , Patron. min. princ. Diœcesis, *duplex majus.* Com. S. Joannis Leonardi, Conf., *(duplex).*
10 S. Francisci Borgiæ Conf., *semiduplex.*
11 Maternitatis B. Mariæ V., *duplex II classis.*
12 * Ss. Nicasii Ep. ac Sociorum Mm., *duplex II classis.*
13 S. Eduardi Regis Conf., *semiduplex.*
14 S. Callisti I Papæ et Mart., *duplex.*
15 S. Teresiæ Virg., *duplex.*
16 S. Hedwigis Vid., *semiduplex.*
17 S. Margaritæ Mariæ Alacoque Virg., *duplex.*

Scanné avec CamScanner

18 S. Lucæ Ev., *duplex II classis.*
19 S. Petri de Alcantara Conf., *duplex.*
20 S. Joannis Cantii Conf., *duplex.*
21 S. Hilarionis Abb., *simplex.* Com. Ss. Ursulæ et Sociarum Vv. et Mm.
22 * S. Melloni Ep. et Conf., *simplex.*
23 * S. Romani Ep. Rothomagensis et Conf., *duplex.*
24 S. Raphaëlis Archangeli, *duplex majus.*
Dominica ultima Octobris. — FESTUM D. N. JESU CHRISTI REGIS, *duplex I classis.*
25 Ss. Chrysanthi et Dariæ Mm., *simplex.*
26 S. Evaristi Papæ et Mart., *simplex.*
27 Vigilia.
28 Ss. Simonis et Judæ App., *duplex II classis.*
29
30
31 Vigilia.

NOVEMBER

1 OMNIUM SANCTORUM, *dupl. I cl.* cum Octava communi.
2 Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, *duplex.*
3 De III die infra Octavam Omnium Sanctorum, *semiduplex.*
4 S. Caroli Ep. et Conf., *duplex.* Com. Octavæ ac Ss. Vitalis et Agricolæ Mm.
5 * Ss. Reliquiarum quæ in Ecclesiis Diœcesis asservantur, *duplex majus.* Com. Octavæ.
6 De VI die infra Octavam Omnium Sanctorum, *semiduplex.*
* In Ecclesiis consecratis, excepta Cathedrali, DEDICATIO ECCLESIÆ PROPRIÆ, *duplex I classis* cum Oct. communi.
7 De VII die infra Octavam Omnium Sanctorum, *semiduplex.* (* In Eccl. consec. Com. Oct. Dedicationis).
8 Octava Omnium Sanctorum, *duplex majus.* Com. (* Oct. Dedic. in Eccl. cons. et) Quatuor Coronatorum Mm.
9 Dedicatio Archibasilicæ Ssmi Salvatoris, *dupl. II classis.* Com. S. Theodori Mart.
10 S. Andreæ Avellini Conf., *duplex.* Com. (* Oct. Dedic. in Eccl. consec. et) Ss. Tryphonis et Soc. Mm.
11 * S. Martini Ep. Conf., *duplex majus.* Com. (* Oct. Dedicat. in Eccles. consec. et) S. Mennæ Mart.
12 * DEDICATIO ECCLESIÆ CATHEDRALIS, *dupl. I classis* cum Octava communi. Com. S. Martini Papæ et Mart., *(semiduplex).*
13 S. Didaci Conf., *semiduplex.* Com. Octavæ Dedic. Eccles. Cathedralis.
* In Ecclesiis consecratis, excepta Cathedrali, Octava Dedicationis Ecclesiæ propriæ, *duplex majus.* Com. S. Didaci Conf., *(semiduplex)* et * Octavæ Dedicationis Cathedralis.
14 S. Josaphat Episcopi et Martyris, *duplex.* * Com. Oct. Dedic. Eccles. Cathedralis.

Scanné avec CamScanner

15 * S. Eugenii Ep. et Mart., *duplex*. Com. S. Alberti Magni, Ep., Conf. et Eccl. Doctoris, *(duplex)* et * Oct. Dedic. Cath.
16 S. Gertrudis Virg., *duplex*. Com. * Oct. Dedic. Cathed.
17 S. Gregorii Thaumaturgi Ep. et Conf., *semiduplex*. Com. * Oct. Dedic. Cathed.
18 Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli App., *duplex majus*. Com. * Oct. Dedic. Cathed.
19 * Octava Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis, *duplex majus*. Com. S. Elisabeth Viduæ, *(duplex)* et S. Pontiani Papæ et Mart.
20 S. Felicis de Valois Conf., *duplex*.
21 * Præsentatio B. Mariæ Virg., *duplex majus*.
22 S. Cæciliæ Virg. et Mart., *duplex*.
23 S. Clementis I Papæ et Mart., *duplex*. Com. S. Felicitatis Mart.
24 S. Joannis a Cruce Confessoris et Ecclesiæ Doctoris, *duplex*. Com. S. Chrysogoni Mart.
25 S. Catharinæ Virginis et Martyris, *duplex*.
26 S. Silvestri Abb., *duplex*. Com. S. Petri Alexandrini Ep. et Mart.
27 * Manifestatio Imm. Virg. Mariæ a Sacro Numismate, *duplex majus*.
28
29 Vigilia. Com. S. Saturnini Mart.
30 S Andreæ Ap., *duplex II classis*.

DECEMBER

1 * S. Eligii Ep. et Conf., *semiduplex*.
2 S. Bibianæ Virg. et Mart., *semiduplex*.

Scanné avec CamScanner

PROPRIA OFFICIA

DIŒCESIS VERSALIENSIS

PARS AUTUMNALIS

FESTA AUGUSTI

DIEBUS 28, 29, 30 ET 31 AUGUSTI

Pro Commemoratione Octavæ

S. LUDOVICI, Regis

PATRONI DIŒCESIS VERSALIENSIS

AD VESPERAS

Ant. Operátus est bonum, et rectum, et verum coram Dómino, volens requírere Deum suum in toto corde suo, allelúja.

℣. Introíbo in domum tuam, Dómine. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

AD LAUDES

Ant. In tentatióne invéntus est fidélis : ídeo dedit illi Dóminus glóriam in gente sua.

℣. Invéni servum meum. ℟. Oleo sancto meo unxi eum.

Oratio

DEus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum vivit.

Scanné avec CamScanner

Die 31 Augusti

B. Isabellæ
Virginis
Commemoratio

In I Vesperis S. Raymundi Nonnati, post Commemorationem S. Rosæ, fit Commemoratio Octavæ S. Ludovici, ut supra. 9

Deinde Commem. B. Isabellæ :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæränti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde et regna.

Oratio

EXáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Isabéllæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Lectio ix

BEáta Isabélla, génere illústris, clárior móribus, patrem hábuit Ludovícum Octávum, Francórum regem, matrem vero Blancham regínam, pietáte et sapiéntia in líberis educándis máxime laudábilem, qua áuspice, fratrémque sanctum Ludovícum imitáta, mundi oblectaménta a téneris annis contémpsit, et divínis lítteris orationíque dédita inter aulæ régiæ illécebras velut flos innocéntiæ crevit. Virginitátis amóre capta, núptias cum Conrádo Friderící Imperatóris fílio iníre nóluit. Cúpiens autem Deo stríctius adhærére, post genitrícis óbitum, locum selégit apud flúvium Séquanam in Campolóngo, íbique in cœnóbio a se fundáto religiósam duxit vitæ ratiónem, régulam secúndi Ordinis Patriárchæ Seráphici suo aptátam ab Urbáno quarto Monastério proféssa, quam per novem annos fidéliter servávit. Virtútibus ornáta, et meritórum plena divítiis, tandem ad prǽmium ætérnum a Christo sponso vocáta est anno millésimo ducentésimo septuagésimo, ætátis suæ quadragésimo quinto. Miráculis ac signis ante et post mortem illam a Deo illustrátam vétera pérhibent monuménta. Beátæ vero immemorábilis cultus a Leóne Décimo fuit recógnitus, atque ab áliis étiam summis Pontifícibus successíve auctus.

Te Deum laudámus.

Scanné avec CamScanner

AD LAUDES

Et fit Commem. Octavæ S. Ludovici, ut supra. 9

Deinde Commem. B. Isabellæ :

Ant. Símile est.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio Exáudi nos, ut supra.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præced., S. Ægidii Abbatis, ac Ss. Duodecim Fratrum Mm.

FESTA SEPTEMBRIS

Die 1 Septembris

In Octava S. Ludovici

Regis, Patroni diœces. Versaliensis

Duplex majus

IN I VESPERIS

Capitulum Esdr. 1, 7

BEnedíctus Dóminus Deus patrum nostrórum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificáret domum Dómini, quæ est in Jerúsalem.

Hymnus

REX summe regum, qui poténti númine,
Quo sunt creáta regna, nutu dívidis,
Dum thure fumant templa, voce persónant,
Audi profúsas regis in laudem preces.

Nascens in ipsa Ludovícus púrpura,
Sceptris avítis parvus ádmovet manus;
Piáque ductu matris, ignárus mali,
Servíre Christo discit ántequam ímperet.

Justi sevérus cultor, urbes légibus,
Amóre cives cóntinens, hostes metu;
Pietáte cælum flectit, aras éxcitat;
Deóque templa, tecta nudis érigit.

Mox christiáni serus ultor sánguinis,
Eménsus æquor, inque littus bárbarum
Vexílla pandens, urget armis ímpios,
Unóque vitam pro Deo pacíscitur.

Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas atque jubilátio,
In unitáte, quæ gubérnans ómnia,
Per cuncta regnat sæculórum sæcula.

Amen.

℣. Invéni servum meum.
℟. Oleo sancto meo unxi eum.

Scanné avec CamScanner

Ad Magnif. Ant. Quæsívit Dóminus * sibi virum juxta cor suum, et præcépit ei ut esset dux super pópulum suum.

Oratio

DEus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti; ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum.

Et fit Commem. præced. :

Ant. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

DEus, qui in liberándis fidélibus tuis ab impiórum captivitáte beátum Raymúndum Confessórem tuum mirábilem effecísti : ejus nobis intercessióne concéde; ut a peccatórum vínculis absolúti, quæ tibi sunt plácita, líberis méntibus exsequámur. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. S. Ægidii Abbatis :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

INtercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Ægídii Abbátis comméndet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. (Per Dóminum.)

Postea Commem. Ss. duodecim Fratrum Martyrum :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prémia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

FRatérna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet : quæ et fidei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Invitat. Regem regum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus Rex summe regum, ut supra.

Scanné avec CamScanner

In II Nocturno

Lectio iv

EX testaménto sancti Ludovíci regis. — Fili, hoc primum præcípio tibi ut Deum ex toto corde tuo et super ómnia díligas : hoc homo nisi fáciat, salvus esse non potest. Cave ne quid admíttas quod displíceat Deo, hoc est, ne pecces : decet enim extréma te pati pótius quam peccáre letháliter. Sic mala súscipe de manu Dei, ut súbditus sis ei, et grátias agas; et intélligas peccásse te in Deum, hæcque nihilóminus cooperári tibi in bonum. Sic bona súscipe, ut húmilem te præbeas et gratum, neque ex his supérbus factus, aut áliter pejor, de dono Dei fácias contra Deum. Confitére sæpius peccáta tua sacerdóti; eúmque, cui peccáta confiteáris, sacerdótem éli-ge, qui prudens sit et probus, teque illa certo dóceat quæ ágere te aut fúgere oportébit. Is esto, quem confessárii, consanguínei et amíci monére et argúere non métuant. Corde et ore devótus adsis offício Dei ecclesiástico, missæ præsértim a consecratióne Córporis Dómini; neque mutíre hic, aut cum álio cólloqui áudeas. In páuperes benígnus ac pius, eos réfice,et ádjuva ut póteris.

℟. Sancta in manu extraneórum facta sunt : vasa glóriæ nostræ captíva abdúcta sunt : * Quæ erat líbera facta est ancílla : quo ergo nobis adhuc vívere? Omnis qui zelum habet legis státuens testaméntum, éxeat post me. ℣. Ascendérunt gentes super latitúdinem terræ, et circuiérunt castra sanctórum et civitátem diléctam. — Quæ.

Lectio v

ESto amans honóris et famæ tuæ. Nemo áudeat ea præsénte te loqui, quibus aut incitétur áliquis ad peccátum, aut altérius, sive abséntis, sive præséntis, fama lædátur. Ne sinas proférri quidquam minus pium in Deum, in Dei Matrem, in áliquem Sanctum aut Sanctam. Memor esto beneficiórum Dei; et cum res próspere cedent tibi, ei grátias sæpius age. Ut díviti sic páuperi redde unicuíque jus suum. Curam habe servórum tuórum; et quo tímeant te iídem et ament ut dóminum, æquum te illis, fácilem et íntegrum præbe. In omni causa inquíre diligénter veritátem; et, tam pro te quam contra te, quod æquum erit pronúntia. Si

Scanné avec CamScanner

admoneáris altérius esse quod tenes, sive ablátum a te, sive a pátribus tuis relíctum, re bene compérta, statim redde.

℟. Custodívit illum Dóminus ab inimícis, * Et in vínculis non derelíquit illum, et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Erat Deus cum eo, et erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus. — Et.

Lectio vi

HOnóra patrem tuum et matrem tuam : ne præteri mandáta eórum, et iram illórum métue. Benefícia ecclesiástica si cónferes, ea confer viris probis et íntegræ vitæ; quos ut notióres hábeas, sapiéntium et piórum hóminum consílio útere. Advérsus hóminem christiánum ne bellum geras, nisi adhíbito prius matúre consílio, et ex necessária causa. Cum bellum geris, cave ne damnum ullum inferátur ecclésiis et ecclesiásticis viris. Súbditis tuis, si pugnent inter se, pacem statim ímpera. Intuére sæpius in balívos, præpósitos et álios minístros tuos, ne desint offício suo; et si quid ab eis peccátum fúerit, córripe. Sis devótus et obédiens matri nostræ Románæ Ecclésiæ et Summo Pontífici, tamquam patri spirituáli. Cura ne dominétur in regno tuo peccátum áliquod grave, máxime autem blasphémia et hæresis : si dominári jam cœpit, insúrge et expélle. Domum tuam sic omnem compóne, ne sumptus immódici sint et iníqui. Rogo te, fili, memínisse mei et ánimæ meæ, ubi áderit extrémus dies. Curábis tunc commendári me Deo sacrifício missæ, précibus, oratiónibus, eleemósynis, et áliis opéribus bonis quæ toto regno tuo fient; et vocábis me in communiónem et partem benefactórum tuórum ómnium. Benedíco tibi, fili, et precor tibi quidquid potest precári fílio pater.

℟. Ipse est diréctus in pœniténtiam gentis, et * Tulit abominatiónes impietátis, et gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, et * In diébus peccatórum corroborávit pietátem. ℣. Dei minister in bonum, vindex in iram ei qui malum agit. — Tulit. Glória Patri. In diébus.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 12-36

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo qui-

Scanné avec CamScanner

dam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum et revérti. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Comm. in Lucam, Lib. 8

DOminus dicit : Quare non dedísti pecúniam meam ad mensam? Non nostræ, sed suæ pecúniæ quærit usúram. Unus intra terram abscondísse se dicit, quod ratiónem quæ ad imáginem et similitúdinem Dei data est nobis, stúdio voluptátis óbruit et tamquam in fóvea carnis abscóndit. De áliis silétur, qui quasi pródigi debitóres, quæ accéperant perdidérunt. In duóbus illis pauci sunt qui per duas vices ad cultóres víneæ destináti sunt, in réliquis omnes Judæi.

℟. Fecit quod erat bonum coram Dómino : non fuit símilis illi de cunctis régibus; adhæsit Dómino, * Et non recéssit a vestígiis ejus. ℣. Fecit mandáta ejus, unde et erat Dóminus cum eo. — Et non recéssit.

Lectio viii

QUam comparatiónem Matthæus étiam vóluit nobis aptáre, quod simíliter ut dives qui pecúniam suam non impártit paupéribus, ita étiam qui doctrínæ suæ grátiam non dívidit imperítis, docére cum possit, haud mediócris reus est culpæ. De quo quóniam in libris de fide scriptis díximus, transcúrrere mélius fuit. Civitátes autem decem esse quæ possunt, nisi forte ánimæ quibus jure præpónitur, qui pecúniam Dómini et illa elóquia casta, probáta sicut argéntum, méntibus hóminum fœneráverit? Nam sicut Jerúsalem dícitur ædificáta sicut cívitas, ita sunt ánimæ pacíficæ. Et sicut ángeli præsunt, ita et hi qui vitam merúerint angelórum.

℟. Memória Ludovíci in compositiónem odóris facta opus pigmentárii : * In diébus peccatórum corroborávit pietátem. ℣. Ipse est diréctus divínitus ad pœniténtiam gentis. — In diébus. Glória Patri. In diébus.

Pro S. Ægidio Abbate Lectio ix, ut in Breviario.

AD LAUDES

Capitulum Esdr. 1. 7

BEnedíctus Dóminus. Deus patrum nostrórum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificáret domum Dómini quæ est in Jerúsalem.

Scanné avec CamScanner

Hymnus

THure nunc fument, resonéntque cantu
Templa : dejécto Lodoícus hoste,
Quærit ætérnas, tibi militándo,
Christe, corónas.

Hic tuos ardet reparáre cultus;
Hic gregem avúlsum male sacro ovíli
Reddit : hic armis tua christiánis
Sacra tuétur.

Béllicæ vixdum memor ille laudis,
Cuncta qui subdis, tibi servit uni :
Imperes unus, satis imperábit,
Te duce, princeps.

Stat tua fidens ope, fortiórque
Sumit ex ipsis ánimos ruínis;
Jura dat victus, sedet inter ipsos
Arbiter hostes.

Summa laus summo super astra Patri;
Fílio compar hómini Deóque;
Nec tibi dispar, utriúsque sacri
Nexus amóris.
Amen.

℣. Invéni servum meum.
℟. Oleo sancto meo unxi eum.

Ad Bened. Ant. In tentatióne invéntus est * fidélis : ídeo dedit illi Dóminus glóriam in gente sua.

Oratio

DEus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti; ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum vivit.

Et fit Com. S. Ægidii, Abb.

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

INtercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Ægídii Abbátis commendet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. (Per Dóminum.)

Deinde Com. Ss. XII Fratrum :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Scanné avec CamScanner

Oratio

FRatérna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet : quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

AD PRIMAM

Ad absolutionem Capituli : Lectio brevis Stare fecit, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM

Capitulum Esdr. 1, 7

BEnedíctus Dóminus, Deus patrum nostrórum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificáret domum Dómini quæ est in Jerúsalem.

℟. br. Erudímini, reges, * Qui judicátis terram. Erudímini. ℣. Servíte Dómino in timóre. Qui judicátis. Glória Patri. Erudímini.

℣. Rex qui sperat in Dómino. ℟. In misericórdia Altíssimi non commovébitur.

AD SEXTAM

Capit. Prov. 29, 14

REX qui júdicat in veritáte páuperes, thronus ejus in ætérnum firmábitur.

℟. br. Rex qui sperat * In Dómino. Rex qui sperat. ℣. In misericórdia Altíssimi non commovébitur. In Dómino. Glória Patri. Rex qui sperat.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ. ℟. Et cantent in viis Dómini, quóniam magna est glória Dómini.

AD NONAM

Capit. Eccli. 47, 11-12

STare fecit cantóres contra altáre, et in sono eórum dulces fecit modos. Et dedit in celebratiónibus decus, et ornávit témpora usque ad consummatiónem vitæ, ut laudárent nomen sanctum Dómini, et amplificárent mane Dei sanctitátem.

℟. br. Confiteántur tibi, Dómine, * Omnes reges terræ. Confiteántur. ℣. Et cantent in viis Dómini, quóniam magna est glória Dómini. Omnes reges. Glória Patri. Confiteántur.

℣. Deus, cánticum novum cantábo tibi. ℟. Qui das salútem régibus.

IN II VESPERIS

Capitulum Benedíctus, ut supra.

Hymnus

TE sancte, rursus, Ludovíce, prælia
Divína poscunt; tu crucis
clavum tenens,

Scanné avec CamScanner

Speíque sacras ánchora fundans rates,
Moves tyránnis bella, Christo mílitas.

Vincis cadéndo : mors tibi victóriam
Aufert et addit : corpus hic palmæ tegunt
Nondum sepúltum : pro triúmpho cælitum
Sedes parántur, pro coróna sídera.

Tuus patérnæ rédditus terræ cinis
Regnum tuétur, dum throno præsens Dei
Ætérna regnans pascis inter lília,
Favénsque blando nostra cernis lúmine.

Sit Trinitáti sempitérna glória, [bilátio,
Honor, potéstas, atque ju-
In unitáte, quæ gubérnans ómnia,
Per cuncta regnat sæculórum sécula. Amen.

℣. Introíbo in domum tuam, Dómine. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Ad Magnif. Ant. Operátus est bonum, * et rectum, et verum coram Dómino, volens requírere Deum suum in toto corde suo, allelúja.

Oratio

DEus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti; ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum vivit.

Et fit Commem. seq. et S. Stephani Regis, ut infra.

Die 2 Septembris

Bb. Joannis Mariæ du Lau, Francisci Josephi et Petri Ludovici de la Rochefoucauld, Pontificum, ac Sociorum Martyrum

Duplex majus

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prémia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

DEus, qui Joánnem Maríam, Francíscum Joséphum, Petrum Ludovícum Pontífices, eorúmque sócios, cathólicam fidem et jura Ecclésiæ strénue profiténtes, martýrii palma decorásti : eórum précibus concéde, ut spíritu fortitúdinis roboráti, in Dei servítio fidéles usque

Scanné avec CamScanner

ad mortem inveniámur. (Per Dóminum.)

Deinde fit Com. S. Stephani Regis, Conf.

Ant. Similábo eum viro sapiénti qui ædificávit domum suam supra petram. ℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

COncéde, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus : ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Abénte sæculo décimo octávo, Gállica perturbátio efferátum ódium in veram Christi Ecclésiam, ejúsque minístros civílem cleri constitutiónem fórtiter improbántes, singulárem in modum concitávit. Centum nonagínta unus viri, fidelitátem ac reveréntiam erga sanctam Románam Ecclésiam strénue serváre satagéntes, Parísiis, mense Augústo anni millésimi septingentésimi nonagésimi secúndi, ab usurpatório civitátis gubérnio, persecutiónem patiéntes, in quátuor cárceres violénter conjécti, miris pietátis et caritátis exercítiis ad atrox mortis supplícium sese præparántes, primis diébus Septémbris ejúsdem anni, ibídem illústri martýrio occubuérunt. In convéntu Carmelitárum discalceatórum, Joánnes María du Lau, Archiepíscopus Arelaténsis, simúlque duo fratres Francíscus Joséphus et Petrus Ludovícus de la Rochefoucauld, unus Bellovacénsis, alter vero Santonénsis Episcopus, exémplum et solátium in advérsis dedérunt suis sóciis, quorum plúrimi, ad vitándas persecutiónes quibus erant obnóxii, ex ómnibus Gálliæ pártibus Parísios confúgerant.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in Mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v

PAriter in Seminário Sancti Firmíni, venerábilis rector Ludovícus Joséphus François, sancti Vincéntii a Paulo disci-

Scanné avec CamScanner

pulus, plurésque doctóres et sacrárum Facultátum magístri, solámen animámque sacerdótibus fidélibus áddere non cessárunt. In Abbátia Sancti Germáni a Pratis, et in ergástulo dicto « la Force », postrémis mensis Augústi diébus, áliquot presbýteri numerósis commíxti sunt laícis; quibus illi ad imminéntem jam necem consolatiónes atque subsídia sacræ religiónis conférre studuérunt. Inter illos sacerdótes speciáli mentióne dignus est párochus ecclésiæ Sancti Joánnis *en Grève*, Marcus Ludovícus Royer, parochórum civitátis decánus. Hic, postquam sacram absolutiónem céteris dedísset, primus impétitus, et apertíssime prófitens se numquam scelestíssimum juraméntum præstitísse, intrépido ánimo supplícium tolerávit.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut.

Lectio vi

SErvórum Dei relíquiæ, atrócem in modum violátæ omníque vestiménto spoliátæ, in commúnes tumbas, divérsis in locis jam ántea parátas, projéctæ fuérunt. In convéntu autem Carmelitárum, cujus templum jam dudum ecclésia Mártyrum vulgo dicebátur, anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo, plura ossa invénta sunt in púteo obstrúcto, non longe ab Oratório beátæ Maríæ Vírginis, in quem injéctæ fúerant quædam víctimæ in horto necátæ. Curánte Geórgio Archiepíscopo, inde in cryptam ecclésiæ transláta sunt, ubi religióse fuérunt asserváta. In pariétibus vero legúntur inscrípta ómnium Servórum Dei nómina qui in prædícto convéntu sunt percúlsi. Hic autem locus, sæpius per annum, diébus præsértim anniversáriis martýrii, a multis peregrínis frequentátur. Illos omnes invíctos Christi Mártyres Pius Papa undécimus, anno millésimo nongentésimo vicésimo sexto, fastis Beatórum solémniter adscrípsit.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos : et in témpore erit respéctus illórum : * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confi-

Scanné avec CamScanner

dunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. — Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Nocturno Homilia in Evang. Cum audiéritis, de Communi plur. Mart. I loco.

Pro S. Stephano Rege, Conf. Lectio ix, ut in Breviario.

AD LAUDES

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

DEus, qui Joánnem Maríam, Francíscum Joséphum, Petrum Ludovícum Pontífices, eorúmque sócios, cathólicam fidem et jura Ecclésiæ strénue profiténtes, martýrii palma decorásti : eórum précibus concéde, ut spíritu fortitúdinis roboráti, in Dei servítio fidéles usque ad mortem inveniámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Stephani :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

CONcéde, quæsumus, Eclésiæ tuæ, omnípotens Deus : ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. Per Dóminum.

Extra Civitatem Versaliensem : Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commem. præced. et S. Stephani, ut infra. Completorium de Feria.

Pro Clero Civitatis Versaliensis : Vesperæ de sequenti sine Commemoratione. Completorium de Dominica.

Scanné avec CamScanner

S. JULIANI BRIVATENSIS
Martyris
PATRONI CIVITATIS VERSALIENSIS

In Diœcesi : Duplex majus

In Civitate : Duplex I classis cum Oct. communi

In Civitate : Omnia de Communi unius Martyris præter Orationem et Lectiones II Nocturni, ut infra.

Oratio

DEus, qui in corde beáti Juliáni mártyris ignem sancti tui amóris accendísti, ut persecutórum supplícia te adjuvánte despíceret : da nobis, ut cujus natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Extra Civitatem :

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Iste sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

Oratio Deus, qui in corde, ut supra.

Et fit Commem. præced. :

Ant. Gaudent in cælis ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti; et, quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

DEus, qui Joánnem Maríam, Francíscum Joséphum, Petrum Ludovícum Pontífices, eorúmque sócios, cathólicam fidem et jura Ecclésiæ strénue profiténtes, martýrii palma decorásti : eórum précibus concéde, ut spíritu fortitúdinis roboráti, in Dei servítio fidéles usque ad mortem inveniámur. (Per Dóminum.)

Deinde Com. S. Stephani :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Scanné avec CamScanner

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

COncéde, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus : ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. Per Dóminum.

In I Nocturno, in Civitate et ubi dicendæ non sunt de Scriptura occurrenti, Lectiones Fratres, Debitóres, de Communi plurim. Martyrum cum ℟℟. de Communi unius Martyris.

In II Nocturno

Lectio iv

S. Gregorius Turonensis de miraculis S. Juliani Lib. 2, Cap. 1 et 2

INclytus martyr Juliánus, qui, Viennénsi ortus in urbe, Arvérnis datus est martyr, igne divíno succénsus nihil áliud concupívit, nihil tota mente desiderávit nisi, spretis mundi illécebris, justítiæ viam expedítus irréperet. Cum esset apud beatíssimum Ferréolum, jam tunc Martýrii amóre flagrans, relíctis divítiis ac propínquis, Arvérnum advénit territórium. Sed nec hoc sine divíno mandáto perégit, cum tunc persecútio Viennénsi urbe fervéret. Légerat enim Dóminum prædixísse : Si vos persecúti fúerint in ista civitáte, fúgite in áliam.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum eo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v

SÆviénte persecutióne ad Brivaténsem vicum, in quo fanátici erróris Noéniæ colebántur, advénit, et cum ínsequi adversários sensísset, a vídua quadam se occultári deprecabátur; sed mox persecutóribus occúrrens : Nolo, inquit, diútius morári in hoc sæculo, quia tota ánimi aviditáte Christum sítio. Hæc loquénte Juliáno, edúcunt carnífices vibránti déxtera frámeam, et, decíso cápite, in tres, ut ita dicam, partes martyr gloriósus dividitur. Nam caput Viénnam defértur, artus Briváte condúntur, felix ánima a Christo conditóre suscípitur. Senes quoque, qui sanctum corpus mancipavérunt sepultúræ, ita redintegráti sunt, ut in

Scanné avec CamScanner

senectúte summa pósiti, tamquam júvenes haberéntur. Caput quoque ejus Ferréolus martyr accépit completóque certámine, tam hujúsce membra quam illíus caput in uníus túmuli receptáculo collocáta sunt.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis; posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vi

EX témpore autem sancti Germáni Autissiodorénsis antístitis, et ejus senténtia quinto Kaléndas mensis séptimi celebrári consuévit sancti mártyris dies natalítius. Constat vetéribus chrónicis, ecclésiam sancto Juliáno dedicátam jam sæculo décimo exstitísse in pago ubi póstea cívitas Versaliénsis cóndita fuit. Hæc ecclésia, áliquot canonicórum curæ crédita, tandem sequéntibus sæculis dirúta est, eo círciter témpore quo cívitas innúmeris ædibus, et regáli præsértim paláti o nobilitánda assurgébat. Non procul a véteri sancti Juliáni paróchia, anno millésimo septingentésimo quadragésimo tértio erécta est sub nómine et patrocínio sancti Ludoquæ nunc diœcéseos Versavíci regis ámplior basílica, liénsis éminet cathedrális.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. — Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno Homilia in Evang. Nolíte arbitrári, de Communi 3 loco.

AD LAUDES

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

DEus, qui in corde beáti Juliáni mártyris, ignem sancti tui amóris accendísti, ut persecutórum supplícia te adjuvánte despíceret : da nobis, ut cujus natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justus ut palma.

Ad Magnif. Ant. Qui vult veníre post me, * ábneget

semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

In Civitate Completorium de Dominica.

℣. In Civitate : Infra Octavam et in die Octava Añæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti Hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua de Communi, præter Orationem ut in Festo et Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurr. cum suis ℟℟. de tempore, in II et III Noct. pro singulis diebus assignantur propriæ.

Die 4 Septembris

Pro clero Versaliis degente

De II die infra Octavam

S. Juliani

Semiduplex

In II Noeturno

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi

Lectio iv

Sermo 93 in Natali Ss. Nazarii etc., et post med.

ANtus Christi testis pretiósus confessióne, pretiósior sánguine, crudéli vúlnere pretiósior, et tincta veste candídior, licet peculiáris putétur privilégio sepúlcri, sed ómnium est communióne suffrágii. Non cláuditur locis, quod dífunditur méritis. Invocásti ubíque mártyrem, ubíque te exáudit ille, qui honorátur in mártyre. Moderánte ítaque eo, qui pensat vota tua, et dispénsat múnera sua, in tantum vicína præséntia efficácis præbébitur advocáti, in quantum fúerit fides devóta suscépti. Orátio enim quæ castitátis, justítiæ, eleemosynárum opéribus adjuvátur, excédit mundum, pénetrat paradísum, évolat usque ad ipsum summæ Majestátis, Angelo conferénte, conspéctum.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Lectio v

QUÆ cum ita sint, honorémus beátos mártyres, príncipes fídei, intercessóres mundi, præcónes regni, cohærédes Dei. Quod si dicas mihi : Quid honóras in carne jam resolúta atque consúmpta, de qua nulla jam Deo cura est? Et ubi est illud, caríssimi, quod ipsa Véritas lóquitur per Prophétam? Pretiósa, inquit, in conspéctu Dómini mors Sanctórum ejus. Et íterum :

Scanné avec CamScanner

Mihi autem valde honorificándi sunt amíci tui, Deus. Honoráre debémus servos Dei, quanto magis amícos Dei? de quibus álio loco dícitur : Dóminus custódit ómnia ossa eórum, et unum ex his non conterétur.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vi

HOnóro ergo in carne mártyris excéptas pro Christi nómine cicatríces; honóro vivéntis memóriam, perennitátem virtútis. Honóro per confessiónem Dómini sacrátos cíneres : honóro in cinéribus sémina æternitátis : honóro corpus, quod mihi Dóminum meum osténdit dilígere, quod me propter Dóminum mortem dócuit non timére. Cur autem non honórent corpus illud fidéles, quod reveréntur et dæmones? quod et afflixérunt in supplício, sed glorificant in sepúlcro? Honóro ítaque corpus, quod Christus honorávit in gládio, quod cum Christo regnábit in cælo.

℟. Stola jucunditátis indúit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ, et intelléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. — Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 10, 34-42

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte arbitrári, quia pacem vénerim míttere in terram : non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri

Libro 1 in Matth. Cap. 10

SUpra díxerat : Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine : et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Nunc infert, quid post prædicatiónem sequátur. Ad fidem Christi totus orbis contra se divísus est : unaquæque domus et infidéles et credéntes hábuit, et propterea bellum missum est bonum, ut rumperétur pax mala. Tale quid et in Génesi advérsus rebélles hómines, qui moti fúerant de oriénte, et turrem

Scanné avec CamScanner

exstrúere festinábant, per quam cæli alta penetrárent, fecísse scríbitur Deus, ut divíderet linguas eórum. ℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viii

VEni enim separáre hóminem advérsus patrem suum. Hic locus prope iísdem verbis in Michæa prophéta scríbitur. Et notándum, ubicúmque de véteri testaménto testimónium pónitur, utrum sensus tantum an sermo conséntiat. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Qui ante præmíserat, Non veni pacem míttere, sed gládium, et divídere hómines advérsus patrem et matrem, nurum et socrum; ne quis pietátem religióni anteférret, subjécit dicens : Qui amat patrem aut matrem plus quam me. Et in Cántico légimus canticórum : Ordinávit in me caritátem. Hic ordo in omni afféctu necessárius est : ama post Deum patrem, ama matrem, ama fílios. ℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui. Glória Patri. Qui.

Lectio ix

ORdo pulchérrimus : ad prædicatiónem mittit, docet perícula non timénda, afféctum súbjicit religióni. Aurum supra túlerat, æs de zona excússerat. Dura Evangelistárum condítio. Unde ergo sumptus, unde victus necessária? Austeritátem mandatórum spe témperat promissórum : Qui récipit, ínquiens, vos, me récipit : et qui me récipit, récipit eum, qui me misit : ut in suscipiéndis Apóstolis unusquísque credéntium Christum se suscepísse arbitrétur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Scanné avec CamScanner

Oratio

DEus, qui in corde beáti Juliáni Mártyris, ignem sancti tui amóris accendísti, ut persecutórum supplícia te adjuvánte despíceret : da nobis, ut cujus natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Com. diei præc. infra Octavam, ac S. Laurentii Justiniani.

Die 5 Septembris

S. Æterni

Episcopi et Martyris

Duplex

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Iste sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

Oratio

ECclésiam tuam, Dómine, interveniénte beáto Ætérno, Mártyre tuo atque Pontífice, perpétua miseratióne proséquere : ut inter sæculi túrbines constitúta, et præsénti jucunditáte respíret, et ætérnæ beatitúdinis gáudia percípiat. Per Dóminum.

Et, in Civitate Versaliensi, fit Commem. præcedentis :

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio Deus, qui in corde, ut supra.

Deinde, in tota diœcesi, Commem. S. Laurentii Justiniani Ep. et Conf. :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Lauréntii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Die tamen Dominica, in II Vesperis, in Civitate, fit prima Commem. S. Æterni, secunda S. Laurentii Justiniani, ac tertia Octavæ S. Juliani.

In II Nocturno

Lectio iv

Tértius, circa médium séptimi sæculi, ad régimen Ebroicénsis Ecclésiæ as-

Scanné avec CamScanner

súmptus est. Totus in eo incúbuit per plúrimos annos ut gregem suum, quorúmdam hóminum malígnis ártibus in erróris viam indúctum, ad veritátis lucem et unitátem revocáret. Cælo favénte, ádeo felíciter decéptæ gentis pertináciam suásivus prædicátor fregit, ut, stírpitus eradicátis erróribus, implantáta fides úbique læta germináverit. Exínde erróris satóribus, quos étiam magna ánimi libertáte coargúerat, exósus, cum in aulam apud regem se conférret, inexspectáto ab iis intercéptus, plagis repetítis gloriósus martyr occúbuit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum eo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v

Corpus ejus Lusárcam in território Versaliénsi allátum est, et in ejúsdem óppidi ecclésia cónditum, ubi háctenus magna fidélium veneratióne cólitur. Anno autem millésimo sexcentésimo octogésimo secúndo, duóbus canónicis, qui a capítulo Ebroicénsi deputáti Lusárcam devénerant, os insígne sui Pontíficis ab ipsíus loci canónicis concéssum est, et Ebroícas translátum.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vi

Sancti Mártyris caput sibi quondam a Lusárcæ Canónicis dono datum Ecclésia Villáris Belli religióse assérvat, quod post luctuósas regni tempestátes a Ludovíco Charrier de la Roche, primo Versaliénsi Epíscopo, præhábito exámine recógnitum, in commúni capsa cum áliquot relíquiis sancti Desidérii Lingonénsis, sancti Eutrópii Mártyris, et sanctæ Opportúnæ Vírginis, appósito sigíllo episcopáli, recónditum est.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. — Et. Glória Patri. Et.

Scanné avec CamScanner

In III Nocturno Homilia in Evang. Si quis venit ad me, de Communi I loco.

Pro S. Laurentio Justiniano Episc. et Conf. Lectio ix, ut in Breviario.

AD LAUDES

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

ECclésiam tuam, Dómine, interveniénte beáto Ætérno, Mártyre tuo atque Pontífice, perpétua miseratióne proséquere : ut inter sæculi túrbines constitúta, et præsénti jucunditáte respíret, et ætérnæ beatitúdinis gáudia percípiat. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Laurentii :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Lauréntii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. (Per Dóminum.)

Deinde, in Civitate Versaliensi, Commem. Octavæ S. Juliani :

Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

DEus, qui in corde beáti Juliáni Mártyris ignem sancti tui amóris accendísti, ut persecutórum supplícia te adjuvánte despíceret : da nobis, ut cujus natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justus ut palma.

Ad Magnif. Ant. Qui vult veníre * post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Et, in Civitate tantum Versaliensi, fit Com. diei sequentis infra Octavam S. Juliani :

Ant. Iste sanctus.

℣. Glória et honóre.

Oratio Deus, ut supra.

Deinde, in tota diœcesi Commem. S. Laurentii :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : sto-

Scanné avec CamScanner

jam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit.

Oratio Da quæsumus, ut supra.

Sabbato tamen, in Civitate, in primis Vesperis Dominicæ sequentis fit prima Commemoratio S. Æterni, secunda S. Laurentii, tertia Octavæ S. Juliani :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Glória et honóre.

Die autem Dominica, in secundis Vesperis fit prima Commemoratio diei sequentis infra Octavam S. Juliani, (Ant. Iste Sanctus, ℣. Glória et honóre); secunda S. Æterni ut supra, tertia S. Laurentii.

Die 6 Septembris

Pro clero Versaliis degente

De IV die infra Octavam

S. Juliani

Semiduplex

In II Nocturno

Sermo sancti Petri Chrysólogi

Lectio iv

De S. Cypriano 129

QUóniam hódie Deo in natáli sancti Juliáni mártyris convénimus, in quo miro certámine de diábolo triumphávit; et quia nobis virtútum suárum gloriósum relíquit exémplum : ídeo exsultáre nos cónvenit et lætári. Natálem ergo sanctórum cum audítis, caríssimi, nolíte putáre illum dici quo nascúntur in terram de carne; sed de terra in cælum, de labóre ad réquiem, de tentatiónibus ad quiétem, de cruciátibus ad delícias : non fluxas, sed fortes et stábiles et ætérnas; de mundánis rísibus ad corónam et glóriam. Tales natáles digne mártyrum celebrántur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Lectio v

CUM ergo hujúsmodi festivitas ágitur, noli æstimáre, caríssime, quod in solis prándiis, et profusióribus épulis natáles mártyrum celebréntur : sed imitándum tibi propónitur quod in memória mártyris célebras. Aspice ergo, caríssime, alacritátem pópuli circumstántis : in hac enim die

Scanné avec CamScanner

aliquándo turba ástitit impiórum, cum sanctus Juliánus jussu tyránni ferirétur : turbæ erant malórum, exspectántium chori; nunc multitúdo fidélium ad collætándum devóta conflúxit : tunc turba sæviéntium, nunc exsultántium : tunc desperatórum, nunc sperántium.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vi

IDcírco ergo natáles mártyrum ánnua lætítia celebrántur, ut quod semel actum est, per omne ævum in memória máneat devotórum. Gesta res est, caríssime, ne te díceres ignoráre : celebrántur ánnua, ne dicas : Oblítus sum. Ad hæc ergo imitánda vos animáte, caríssimi : hanc magnanimitátis grátiam concupíscite : hoc pétite dari vobis, quod ille méruit adipísci.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ, et intelléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. — Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 10, 34-42

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte arbitrári, quia pacem vénerim míttere in terram : non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Homilia 36 in Matth. initio

NON veni pacem in terram míttere. Quómodo ígitur præcipit, cum ad suscipiéntium domos ingrederéntur, pacem ómnibus dícere? Aut quómodo Angeli clamábant : Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis? Quómodo et omnes prophétæ pacem témpore ipsíus futúram prænuntiárunt? Quia vidélicet præcípua singularísque pax tunc præstátur, quando quod tabe vel sánie corrúptum est, abscínditur atque projícitur : quando factiósa et ímproba pars repéllitur, aut omníno destrúitur, sic

Scanné avec CamScanner

certe cælis terra conjúngi potest.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viii

NAM et médicus hoc modo réliquum corpus consérvat fácile, si quod redúci ad sanitátem non potest, excíderit atque abjécerit : et milítiæ dux ad solvéndam mílitum conspiratiónem álterum in álterum cóncitat. Sic in turre factum vidémus, quando perniciósa illa pax, per vocis discrepántiam dissolúta, tranquíllam atque laudábilem pacem réddidit. Sic étiam Paulus eos, qui advérsus se conspirábant, dividébat atque dissipábat. Nec enim semper concórdia laudánda, cum étiam latrónes magna inter se concórdia conspiráre sciámus. Non ígitur ex propósito Christi, sed ex mente animóque hóminum vitióso bellum erúmpit.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui. Glória Patri. Qui.

Lectio ix

QUid ígitur ait : Non veni míttere pacem? Nolíte, ait, existimáre harum rerum causam vos futúros : ego sum qui, quóniam hómines ad vítia infidelitatémque proclíves sunt, hæc præparo. Non ergo, quasi præter exspectatiónem vestram quidquam accíderit, turbatióne áliqua moveámini, cum ídeo vénerim, ut bellum commíttam. Hæc volúntas mea est, nulla vos invádat turbátio, quasi bello atque insídiis orbe terrárum ferócius exagitáto; nam si hoc modo pejórem partem concidérimus, tunc pars mélior cælo copulábitur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Scanné avec CamScanner

Oratio

DEus, qui in corde beáti Juliáni mártyris ignem sancti tui amóris accendísti, ut persecutórum supplícia te adjuvánte despíceret : da nobis, ut cujus natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis.

Sabbato autem, in I Vesp. Dominicæ fit prima Commemoratio Octavæ S. Juliani, et deinde Commem. S. Clodoaldi.

Die 7 Septembris

S. Clodoaldi

Confessoris Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

DEus, qui beátum Clodoáldum propter te humiliátum in sæculo, et sacerdótii múnere, et virtútum splendóre sublimásti : tríbue nos ejus exémplo tibi digne ministráre, et per ejus intercessiónem grátia semper et mérito profícere. Per Dóminum.

Et, in Civitate Versaliensi, fit Commemoratio Octavæ S. Juliani :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma floré-bit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio Deus, qui in corde, ut supra.

In II Nocturno

Lectio iv

CLodoáldus, ex Clodómere Aureliaménsium rege, Clodovéi magni, regis Francórum, nepos, cæso a Burgundiónibus patre, cum duóbus frátribus Theodováldo et Guntário, pupíllus sub áviæ Clotíldis tuéla relíctus est : sed pátrui eórum Childebértus Parisiórum et Clotárius Suessiónum rex, ut regnum pupillórum invádérent, ex his duos álterum decénnem, septénnem álterum, vi et fraude occídere decrevérunt : quos manu Clotárii interféctos Clotíldis magno luctu prosecúta, Parísiis in Basílica sancti Petri, deínde sanctæ Genovéfæ dicta, sepeliéndos curávit. Tértius vero Clodoáldus, cum ad símile exítium quæreré-tur, ope virórum fórtium.

Scanné avec CamScanner

imo protegénte Deo, servátus est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v

ITaque Clodoáldus, fuga elápsus, exhæres factus in terris, hæreditátem quæ de cælo est toto ánimo concupívit : neque tam spretus a mundo, quam mundum ipse spernens, sibi própria manu capíllos in signum contémpti regni incídit, et cléricus factus, divíno se cúltui mancipávit. Tum vitam egit duram et ásperam, humi substrácto cilício decúmbens, sacrórum librórum lectióni crebrísque oratiónibus inténtus; et quod sibi réliquum erat facultátum paupéribus distríbuit. Sub idem tempus Severínum ádiit mónachum, qui, Parísiis cella inclúsus, divínæ contemplatióni vacábat; et ab eo mónachi hábitum accépit.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

IN extrémam deínde Gálliæ partem, quæ Província dícitur, solitáriæ vitæ libérius vacatúrus discéssit. Ubi dum oratiónis domum construéret, páuperi eleemósynam peténti, cum áliud non habéret, cucúllam tríbuit; et nocte sequénti cubículum in quo pauper excéptus fuit, visum est propter méritum dantis ingénti lúmine coruscáre. Parísios revérsus et acclamánte pópulo ab Eusébio Epíscopo Présbyter consecrátus, monastérium cóndidit in eo loco qui dicebátur Noviéntum, quem morte, sepultúra, miráculis ac nómine suo illústrem fecit. Luctuósis Galliæ tempóribus, insígnes sancti Clodoáldi relíquiæ mánibus furéntium eréptæ sunt, fidélium pietáti exhibéndæ.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Scanné avec CamScanner

In III Nocturno Homilia in Evang. Sint lumbi vestri præcíncti, de Comm. I loco.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

DEus, qui beátum Clodoáldum propter te humiliátum in sæculo, et sacerdótii múnere, et virtútum splendóre sublimásti : tríbue nos ejus exémplo tibi digne ministráre, et per ejus intercessiónem grátia semper et mérito profícere. Per Dóminum.

Et, in Civitate Versaliensi, fit Commem. Octavæ S. Juliani :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

DEus, qui in corde beáti Juliáni mártyris ignem sancti tui amóris accendísti, ut persecutórum supplícia te adjuvánte despíceret : da nobis, ut cujus natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis :

Ant. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio Deus, qui beátum, ut supra.

In Civitate Versaliensi non additur Commem. Octavæ usque ad II Vesperas diei sequentis inclusive, juxta rubricas.

Die 9 Septembris

S. Corbiniani

Episcopi et Confessoris

Duplex (m. t. v.)

In II Vesperis Nativitatis B. M. V. fit Commemoratio seq. :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

EXáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Corbiniáni Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et, qui tibi digne méruit famulári, ejus in-

Scanné avec CamScanner

tercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Corbiniánus Castris, nunc Arpajónii, in território Versaliénsi, natus, in céllula quam ipse vicínam ecclésiæ sibi paráverat, sanctíssimam cum nonnúllis e domo sua fámulis vitæ ratiónem informáre stúduit. Ibi sacrárum litterárum meditatióne únice delectátus, jejúniis, oratióne, vigíliis carnem domans, parcus sibi, in páuperes singuláriter munífícus, ómnium et ipsíus regis óculos et admiratiónem in se convértit. Delitescéndi causa cum Romam confugísset, a Gregório Papa secúndo Episcopále onus licet invítus suscépit. Redux in Gálliam verbum salútis cum ubérrimo fructu prædicávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v

Paulo post a Románo Pontífice in Baváriam missus ut pópulis istíus regiónis lumen Evangélii proférret, a Theodóne recens convérso et ab ejus fílio Grimoáldo benígne excéptus est. Frisíngæ consístens, primam ibi sedem episcopálem, Bavariórum Apóstolus, fixit. Dum autem salúti animárum totus incúmberet, Biltrúdis quam Grimoáldus, fratris sui víduam, dúxerat, adhortánte vero Corbiniáno póstea repudiáverat, cuídam e suis fámulis mandátum dedit ut sanctum præsulem interfíceret. Salútem fuga quæsívit Corbiniánus et mox ab Hubérto, Grimoáldi successóre, in sedem restitútus est.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi

Tandem post annos duódecim in pontificátu Frisingénsi exáctos, innúmeris éthnicis ad fidem addúctis, virtútibus plenus, ábiit ad Dóminum, anno salútis septingentésimo trigésimo, die septémbris octáva. Ejus relíquias ab Epíscopo Frisingénsi dono datas ecclésia sancti Germáni, prope

Scanné avec CamScanner

Arpajónium, religióse assérvat, cujus Pastor jam a plúribus sæculis título et insígnibus canónici Frisingénsis decorátur.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homilia in Evang. Vigiláte, quia nescítis, de Comm. Conf. Pont. 2 loco.

Pro S. Gorgonio Martyre Lectio ix, ut in Breviario.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

EXáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Corbiniáni Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Et, extra Civitatem Versaliensem, fit Commemoratio S. Gorgonii Martyris :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma floré-bit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

SAnctus tuus, Dómine, Gorgónius sua nos intercessióne lætíficet : et pia fáciat solemnitáte gaudére. Per Dóminum.

In Civitate autem Versaliensi fit prima Commem. Octavæ S. Juliani :

Ant. Qui odit, ut supra.

℣. Justus ut palma.

Oratio Deus, ut infra.

Deinde Commem. S. Gorgonii Mart. :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio Sanctus, ut supra.

IN II VESPERIS

Extra Civitatem Versaliensem, Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commem. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : sto-

Scanné avec CamScanner

lam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit.

In Civitate Versaliensi, Vesperæ de sequenti die Octava, Commem. præcedentis et S. Nicolai de Tolentino, ut infra.

Die 10 Septembris

Pro clero Versaliis degénte

In Octava

S. Juliani Brivatensis

Martyris

Duplex majus

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Iste sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

Oratio

DEus, qui in corde beáti Juliáni Mártyris ignem sancti tui amóris accendísti, ut persecutórum supplícia, te adjuvánte, despíceret : da nobis, ut cujus natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Et fit Commem. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit.

Oratio Exáudi, quæsumus, ut supra.

Deinde Commem. S. Nicolai de Tolentino Confessoris :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

ADésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti Nicolái Confessóris tui solemnitáte deférimus : ut, qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum.

In II Nocturno

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi

Lectio iv

Sermo 44, de Sanct., circa medium

QUatiénter permíttunt ægróti se a médicis secári, uri, et váriis amaritúdinum confectiónibus anxiári, ut temporáli tandem resti-

Scanné avec CamScanner

tuántur sanitáti : quanto magis vir beátus longanímiter tolerávit omnem acerbitátem tormentórum temporálium, ut coronarétur in misericórdia et miseratiónibus, et in bonis satiarétur desidérium suum! In torculári ítaque conculcári vóluit, ut tamquam uva matúra in vinum defíceret, et vinum malórum granatórum dilécto suo propináret, quo mentes religiósæ ebriátæ, sciunt utíliter terréna conculcáre, et ad ætérna irretórtis óculis anheláre.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Lectio v

QUI ergo in tyrocínio suo mundánas contémpsit divítias, qui corporáles étiam refrænávit illécebras, qui in provéctu milítiæ suæ multas est perpéssus injúrias, in perfectióne sacrifícii nil sibi resérvans, seípsum óbtulit holocáustum, bibens illum cálicem pretiósum, quem sedens ad magnam mensam sacræ lectiónis sibi prius ab invitatóre suo víderat appósitum. Cujus mors quantumcúmque videátur in conspéctu reprobórum despicábilis, in óculis tamen ejus est pretiósa, qui in Sanctis suis est mirábilis.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et voluntáte.

Lectio vi

IPse enim primo vocávit mílitem suum, ipse justificávit, ipse magnificávit; ipse dedit ei pugnáre, ipse dedit et víncere. Longe est dissímilis hæc milítia mundánæ milítiæ, in qua victóres existimántur, qui quod male desíderant, assequúntur : qui lætántur eum maleféce-rint, et exsúltant in rebus péssimis. In christiáno ergo agóne manifésta est pœna, occúlta victória, secúndum quod ex persóna mártyrum clamat Psalmísta : Da nobis auxílium de tribulatióne, quia vana est salus hóminis : in Deo faciémus virtútem. Tamquam si dícerent : Victória nostra, glória nostra intus est,

Scanné avec CamScanner

non foris est : foris despécti, intus dilécti.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ, et intelléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. — Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 10, 34-42

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte arbitrári, quia pacem vénerim míttere in terram : non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 7 in Lucam

QUM in ómnibus fere Evangélii locis spirituális intelléctus operétur, tamen in præsénti máxime : et ne quem durítia nudæ expositiónis offéndat, spiritáli altitúdine sensus séries temperánda est : præsértim cum sacrosáncta relígio morálibus disciplínis, et mítibus pietátis exémplis, étiam fídei éxsules ad reveréntiam tamen sui cleménter invítet, ut prævia fídei disciplína mansuetúdine sui superstitiónum dura dissólvat, et obnóxias erróribus mentes cogat étiam fide crédere, quas pótuit pietáte mulcére. Etenim cum fídei alta pectóribus non capiúntur infírmis, per ea quæ præcépta sunt, ea quæ veneránda sunt, æstimántur : ut justa de justo, sancta de sancto, bonórum suórum bonum testéntur auctórem.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viii

ERgo Dóminum illum, qui simul divinitátis reveréntiam et pietátis grátiam sua lege complécxus est, dicens : Díliges Dóminum Deum tuum, díliges próximum tuum; ita nunc mutátum esse opinábimur, ut abolére necessitúdinum nómina, collídere pietátis afféctus, carissimórum pignorum dissídia mandásse credámus? Et quómodo ipse est pax nostra, qui fecit útraque unum? Quómodo ipse dicit : Pacem meam do

Scanné avec CamScanner

vobis, pacem meam relínquo vobis; si paréntes a fíliis, fílios a paréntibus dissídio necessitúdinis separatúrus advénit? Quómodo maledíctus, qui non honórat patrem; religiósus, qui déserit?

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. et osténdit illi regnum Dei. — Qui. Glória Patri. Qui.

Pro S. Nicolao de Tolentino Lectio ix, ut in Breviario.

AD LAUDES

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

DEus, qui in corde beáti Juliáni Mártyris ignem sancti tui amóris accendísti, ut persecutórum supplícia, te adjuvánte, despíceret : da nobis, ut cujus natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Nicolai a Tolentino :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

ADésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti Nicolái Confessóris tui solemnitáte deférimus : ut, qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justus ut palma.

Ad Magnif. Ant. Qui vult veníre * post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Et fit Commemoratio sequentis :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Scanné avec CamScanner

Oratio

BEatórum Mártyrum tuórum Proti et Hyacínthi nos, Dómine, fóveat pretiósa conféssio : et pia júgiter intercéssio tueátur. Per Dóminum.

Deinde Commem. S. Nicolai :

Ant. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio Adésto, ut supra.

FESTA OCTOBRIS

Die 1 Octobris

S. Remigii

Episcopi et Confessoris

Duplex majus (m. t. v.)

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.
℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

DEus, qui per beáti Remígii Pontíficis doctuménta, gentem Francórum ab idolórum vanitáte ad veritátem tui cultus veníre tribuísti : da, quæsumus; ut qui christiáno gloriámur nómine, fidem nostram dignis opéribus ostendámus. Per Dóminum.

Et fit Commem. præced. :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Hierónyme, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit.

Oratio

DEus, qui Ecclésiæ tuæ in exponéndis sacris Scriptúris beátum Hierónymum, Confessórem tuum, Doctórem máximum providére dignátus es : præsta, quæsumus, ut, ejus suffragántibus méritis, quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte, exercére valeámus. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

REmígius Laudúni natus est paréntibus Æmílio et sancta Celínia jam ætáte provéctis. Ejus ortum prædíxerat solitárius quidam cæcus, Montánus nómine, qui et visum póstea recépit, admóto ad óculos lacte quo infans Remígius alebátur. Annos natus duos et vigínti, ob seníles in adolescéntia mores ad Episcopátum Remensem

Scanné avec CamScanner

præter voluntátem raptus est. Cum autem Clodovéus Alamánnos, Tolbíaci, invocáto Christi nómine, debellásset, et instánti Remígio ut fidem profiterétur, respondísset veréri se ut per pópulum sibi licéret; ubi id rescívit pópulus, statim acclamávit : Mortáles deos abígimus, pie rex; et Deum quem Remígius prædicat immortálem, sequi paráti sumus.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v

TUM Remígius Clodovéum, quem fídei documéntis imbúerat, baptizávit ipso die Natális Dómini, his eum verbis allocútus : Mitis, depóne colla, Sicámber : adóra quod incendísti, incénde quod adorásti. Baptizátum sacro inúnxit chrísmate cum signáculo crucis Christi. De exércitu autem ejus ter mille et ámplius baptísmo initiáti sunt simul, et Alboflédis soror Clodovéi : quæ, cum paulo post decessísset, Remígius per lítteras regem est consolátus. Lanthildis quoque, áltera ejus soror, ab ariána hæresi revocáta, sacro chrísmate reconciliáta est Ecclésiæ.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi

CLodovéum Gothis bellum parántem utilíssimis regno administrándo consíliis per lítteras instrúxit, eidémque auctor fuit ut concílium Aurelianénse indíceret. Cleméntia in pœniténtes erat singulári : Neque enim, inquiébat, nos pósuit Dóminus ad iracúndiam, sed ad hóminum curam. Novos episcopátus instítuit : Teruánnæ, ubi sanctum Antimúndum : Atrebátis, ubi sanctum Vedástum; Laudúni, ubi sanctum Genebáldum præfécit. Sub finem vitæ oculórum usu orbátus est, quem tamen paulo ante mortem recuperávit. Sénio tandem confectus, óbiit die tértia décima Januárii. Inter ália quæ édidit miracula, mórtuum suscitávit, ut refert liber de ejus vita a Gregório Turonénsi laudátus, qui et méminit

Scanné avec CamScanner

festivitátis ejus, quæ jam suo témpore inítio mensis Octóbris celebrabátur. Beáti Remígii corpus, Remis, in ecclésia ejus nómine dicáta, quiéscit, ubi magna religióne cólitur.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homilia in Evang. Homo péregre proficíscens, de Communi Conf. Pont. 1 loco.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DEus, qui per beáti Remígii Pontíficis documénta, gentem Francórum ab idolórum vanitáte ad veritátem tui cultus veníre tribuísti : da, quæsumus; ut qui christiáno gloriámur nómine, fidem nostram dignis opéribus ostendámus. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit.

Oratio Deus, qui nos beáti Remígii, ut supra.

Die 3 Octobris

S. Teresiæ a Jesu Infante

Patronæ minus Principalis Galliæ Virginis

Duplex II classis

IN I VESPERIS

Ant. 1 Benedícta tu * a Deo tuo, quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël.

Psalmi de Communi Festorum B. M. V.

2 Dóminus elégit te, * ut sis ei : et fáciat te in laudem, et nomen, et glóriam suam.

3 Eris coróna glóriæ * in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui : quia complácuit Dómino in te.

4 Dóminus fáciet tecum * misericórdiam, et veritá-

Scanné avec CamScanner

tem, quia ostendísti grátiam et fidem.

5 Erúmpet quasi mane * lumen tuum, et anteíbit fáciem tuam justítia tua, et glória Dómini cólliget te.

Capitulum Is. 66, 12

HÆC dicit Dóminus : Ecce ego declinábo super eam quasi flúvium pacis, et quasi torréntem inundántem, glóriam géntium, quam sugétis : ad úbera portabímini, et super génua blandiéntur vobis.

Hymnus

NOmen decúsque cóncinant
Terésiæ almæ Vírginis
Qui sancta divi párvuli
Credunt amántque múnera.

Carméli summos vértices
Patróna Mater déligit :
Terésia illuc ádvolat,
Sponsi premens vestígia.

Affláta Jesu númine,
Secréta pandit grátiæ;
Magístra mundo símplices
Infántium docet vias.

Virtútis ipsa flósculos
Olent sacráta límina,
Quæ casta Virgo, ut ángelus
Immíssus e cælo, colit.

At júbilum non éxprimit
Omnes amóris ímpetus;
Non septa magnos cláudere
Ejus valent anhélitus.

* Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula.
Amen.

℣. Ego autem in Dómino gaudébo. ℟. Et exsultábo in Deo Jesu meo.

Ad Magnif. Ant. Ego Dóminus * sponsábo te mihi in sempitérnum : et sponsábo te mihi in justítia et judício, et in misericórdia et in miseratiónibus : et sponsábo te mihi in fide.

Oratio

DOmine, qui dixísti : Nisi efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum : da nobis, quæsumus; ita sanctæ Terésiæ Vírginis in humilitáte et simplicitáte cordis vestígia sectári, ut prǽmia consequámur ætérna : Qui vivis.

Et fit Commemoratio præcedentis :

Ant. Sancti Angeli, custódes nostri, deféndite nos in prælio, ut non pereámus in treméndo judício.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Oratio

DEus, qui ineffábili providéntia sanctos Angelos tuos ad nostram cu-

Scanné avec CamScanner

stódiam míttere dignáris : largíre supplícibus tuis; et eórum semper protectióne deféndi, et ætérna societáte gaudére. Per Dóminum.

Complet. de Dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus Nomen decúsque, ut in I Vesperis.

In I Nocturno

Ant. Plácuit Deo, * qui me vocávit per grátiam suam, ut reveláret Fílium suum in me.

Psalmi trium Noct. de Communi Virginum.

Ant. Ipse vero * scit viam meam, et probávit me quasi aurum, quod per ignem transit.

Ant. Vestígia ejus * secútus est pes meus, viam ejus custodívi, et non declinávi ex ea.

℣. Exsultábo et lætábor, Dómine, in misericórdia tua. ℟. Quóniam respexísti humilitátem meam.

De Cánticis canticórum

Lectio i Cap. 2, 1-6

EGO flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi : et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam viníariam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis : quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

℟. Exsultábit cor meum, Deus, in salutári tuo : * Cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi, et psallam nómini Dómini Altíssimi. ℣. Veníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ. — Cantábo.

Lectio ii Cap. 2, 10-14

ECCE diléctus meus lóquitur mihi : Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit : vox túrturis audíta est in terra nostra : ficus prótulit grossos suos : víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni : colúmba mea, in foramínibus petræ, in cavérna

Scanné avec CamScanner

macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis : vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

℟. Gaudens gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo : * Quia índuit me vestiméntis salútis : et induménto justítiæ circúmdedit me, quasi sponsam ornátam monílibus suis. ℣. In Deo salutáre meum, et glória mea : Deus auxílii mei, et spes mea in Deo est. — Quia.

Lectio iii Cap. 5, 1; 6, 1-3

VEniat diléctus meus in hortum suum, et cómedat fructum pomórum suórum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa : méssui myrrham meam cum aromátibus meis : comédi favum cum melle meo : bibi vinum meum cum lacte meo : comédite, amíci, et bíbite, et inebriámini, caríssimi. Diléctus meus descéndit in hortum suum ad aréolam arómatum, ut pascátur in hortis, et lília cólligat. Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Pulchra es, amíca mea, suávis et decóra sicut Jerúsalem : terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

℟. Delectáre in Dómino, et dabit tibi petitiónes cordis tui : * Et edúcet quasi lumen justítiam tuam : et judícium tuum tamquam merídiem. ℣. Acquiésce ígitur ei, et habéto pacem, et per hæc habébis fructus óptimos. — Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Ant. Jurávi tibi, * et ingréssus sum pactum tecum, ait Dóminus Deus, et facta es mihi.

Ant. Ego Dóminus, * Deus tuus, docens te utília, gubérnans te in via qua ámbulas.

Ant. Egréssum est * nomen tuum in gentes propter spéciem tuam, quia perfécta eras in decóre meo.

℣. Anima mea exsultábit in Dómino. ℟. Et delectábitur super salutári suo.

Lectio iv

TErésia a Jesu Infánte, Alensónii in Gállia, honéstis paréntibus, singulári et assídua erga Deum pietáte conspícuis, orta est. Inde a prima ætáte, divíno Spíritu prævénta, religiósam vitam ágere cupiébat. Sério autem promísit, se nihil Deo denegatúram, quod ipse ab ea pétere viderétur : quam promissiónem fidéliter usque ad mortem serváre satégit. Quinto ætátis anno, matre

Scanné avec CamScanner

amíssa, Dei providéntiæ se totam commísit sub vigiláti custódia amantíssimi patris, sororúmque natu majórum : quibus magístris, Terésia ad curréndam perfectiónis viam, ut gigas exsultávit. Novénnis virgínibus ex Ordine sancti Benedícti Lexóviis excolénda tráditur, ibíque in rerum divinárum cognitióne excéllere visa est. Décimo ætátis anno, arcánus et gravis morbus eam diu cruciávit, a quo, prout ipsa enárrat, ope beatíssimæ Vírginis, quæ eídem subrídens appáruit, et quam, sub título Dóminæ Nostræ a Victória, per novendiália invocáre stúduit, divínitus fuit liberáta. Tunc, angélico fervóre repléta, ad sacrum convívium, in quo Christus súmitur, se diligentíssime præparáre curávit.

℟. Factus est Dóminus firmaméntum meum : et edúxit me in latitúdinem : * Liberávit me, quia complácui ei. ℣. Deus qui accínxit me fortitúdine, et complanávit perféctam viam meam. — Liberávit.

Lectio v

UT prímitus eucharístico pane fuit refécta, insatiábilem cæléstis hujus cibi famem haurire visa est : unde, velut inspiráta, Jesum rogábat, ut omnem mundánam consolatiónem in amaritúdinem sibi vérteret. Inde tenérrimo in Christum Dóminum et in Ecclésiam amóre exæstuans, nihil antíquus hábuit, quam Carmelitárum Excalceatórum Ordinem íngredi, ut, sui abnegatióne suísque sacrifíciis, sacerdótibus, missionáriis, totíque Ecclésiæ opem afférret, et innúmeras ánimas Jesu Christo lucrifáceret : quod jam morti próxima, apud Deum se factúram pollícita est. Propter ætátis defectum, multas ad religiósam vitam amplecténdam nacta est difficultátes, quibus tamen incredíbili ánimi fortitúdine superátis, quíndecim annos nata, Lexoviénsem Carmélum felíciter ingréssa est. Ibi mirábiles Deus in Terésiæ corde ascensiónes dispósuit, quæ, Maríæ Vírginis vitam abscónditam imitáta, quasi hortus irríguus, flores ómnium virtútum germinávit, præcípue vero exímiæ in Deum et in próximum caritátis.

℟. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam : et oblivíscere pópulum tuum et domum patris tui : * Et concupíscet Rex decórem tuum, quóniam ipse est Dóminus Deus tuus.

Scanné avec CamScanner

℣. Dabit cápiti tuo aug-
ménta gratiárum, et co-
róna ínclyta próteget te.
— Et concupíscet Rex de-
córem tuum quóniam ipse
est Dóminus Deus tuus.

Lectio vi

QUO magis Altíssimo placéret, cum in sacris Scriptúris mónitum illud legísset : Si quis est párvulus, véniat ad me : párvula in spíritu esse vóluit, et inde filiáli fidúcia Deo, tamquam patri amantíssimo, se perpétuo trádidit. Hanc spirituális infántiæ viam, secúndum Evangélii doctrínam, álios edócuit, speciátim novítias, quas ex obediéntia ad religiosárum virtútum stúdium informándas suscépit, atque ita apostólico zelo repléta, mundo supérbia infláto et vanitátes diligénti, evangélicæ simplicitátis iter patefécit. Sponsus autem Jesus eam patiéndi desidério, tam in ánima, quam in córpore, pénitus inflammávit. Insuper Dei caritátem undequáque negléctam animadvértens, summo dolóre affécta, duóbus ante óbitum annis, Dei miseréntis amóri se víctimam óbtulit. Tunc, ut ipsa refert, cæléstis ignis flamma vulneráta est : unde caritáte consúmpta, in éxtasim rapta, ferventíssime ingéminans : Deus meus, te díligo, vigínti quátuor annos nata, die trigésima Septémbris, anno millésimo octingentésimo nonagésimo séptimo, ad Sponsum evolávit. Quod autem móriens promíserat, se perénnem rosárum plúviam in terram demissúram, hoc, in cælum recépta, innúmeris miráculis reápse adimplévit et in dies adímplet. Quam Pius undécimus Póntifex Máximus, Beátis Virgínibus adscríptam, et biénnio post, jubilæo máximo recurrénte, inter Sanctas relátam, peculiárem ómnium Missiónum Patrónam constítuit ac declarávit.

℟. Dómine, quid mihi est in cælo? et a te quid vólui super terram? Defécit caro mea et cor meum : * Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum. ℣. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea : quóniam dedísti mihi protectiónem salútis tuæ, et déxtera tua suscépit me. — Deus. Glória Patri. Deus.

In III Nocturno

Ant. Signa et mirabília * fecit apud me Deus excélsus : et Altíssimo benedíxi, et vivéntem in sempitérnum laudávi et glorificávi.

Scanné avec CamScanner

Ant. Absit autem a me, * ut cessem oráre pro vobis; et docébo vos viam bonam et rectam.

Ant. Ego deprecábor Dóminum, * et ad Deum ponam elóquium meum : qui facit magna et inscrutabília, et mirabília absque número.

℣. Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus. ℟. Psállite nómini ejus, quóniam suáve.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 18, 1-4

IN illo témpore : Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes : Quis, putas, major est in regno cælórum? Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ

Sermo 37, alias 36, in Epiphaniæ solemn. 7, cap. 4-3

NOta, dilectíssimi, christiánæ sapiéntiæ disciplína, non in abundántia verbi, non in astútia disputándi, neque in appetítu laudis et glóriæ, sed in vera et voluntária humilitáte consístit, quam Dóminus Jesus Christus ab útero matris usque ad supplícium crucis pro omni fortitúdine et elégit et dócuit. Nam, cum discípuli ejus inter se, ut ait Evangelísta, disquírerent quis eórum major esset in regno cælórum, vocávit párvulum, et státuit eum in médio eórum, et dixit : Amen dico vobis, nisi convérsi fuéritis et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut puer iste, hic major erit in regno cælórum. Amat Christus infántiam, quam primum et ánimo suscépit et córpore. Amat Christus infántiam, humilitátis magístram, innocéntiæ régulam, mansuetúdinis formam. Amat Christus infántiam, ad quam majórum dírigit mores, ad quam senum redúcit ætátes; et eos ad suum inclínat exémplum, quod ad regnum sublímat ætérnum. ℟. Dómine, super senes intelléxi : quia lucérna pédibus meis verbum tuum, et lumen sémitis meis : * Declarátio sermónum tuórum illúminat, et intelléctum dat párvulis. ℣. Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitátem díligas. — Declarátio.

Lectio viii

UT autem plene valeámus agnóscere quómodo apprehéndi possit tam mira convérsio et in puerílem gradum qua nobis mutatióne redeúndum

sit, dóceat nos beátus Paulus, et dicat : Nolíte púeri éffici sénsibus, sed malítia párvuli estóte. Non ergo ad lúdicra infántiæ et imperfécta nobis primórdia reverténdum est, sed áliquid, quod étiam graves annos déceat, inde suméndum, ut velox sit commotiónum tránsitus, citus ad pacem recúrsus : nulla sit memória offensiónis, nulla cupíditas dignitátis; amor sóciæ communiónis, æquálitas naturális. Magnum enim bonum est nocére non nosse et malígna non sápere; quia inférre ac referre injúriam, mundi hujus prudéntia est; némini autem malum pro malo réddere, christiánæ est æquanimitátis infántia.

℟. Suscípiat ánima vestra disciplínam, in próximo est enim invenire eam : * Vidéte óculis vestris, quia módicum laborávi, et invéni mihi multam réquiem. ℣. Operámini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercédem vestram in témpore suo. — Vidéte. Glória Patri. Vidéte.

Lectio ix

AD hanc vos, dilectíssimi, similitúdinem parvulórum mystérium hodiérnæ festivitátis invítat; et hanc vobis humilitátis formam adorátus a Magis puer Salvátor insinuat : qui, ut imitatóribus suis quid glóriæ paráret, osténderet, ortus sui témpore éditos martýrio consecrávit; ut in Béthlehem, ubi Christus natus est, géniti, per communiónem ætátis consórtes fíerent passiónis. Amétur ígitur humílitas, et omnis a fidélibus vitétur elátio. Alter álterum sibi præferat, et nemo quod suum est quærat, sed quod altérius; ut, cum in ómnibus abundáverit afféctus benevoléntiæ, in nullo virus inveniátur invídiæ; quóniam qui se exáltat, humiliábitur, et qui se humíliat, exaltábitur, eódem ipso testánte Dómino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculórum. Amen.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES
et per Horas

Ant. 1 Benedícta tu * a Deo tuo, quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël.

Psalmi de Dominica.

2 Dóminus elégit te, * ut sis ei : et fáciat te in laudem, et nomen, et glóriam suam.

Scanné avec CamScanner

3 Eris coróna glóriæ * in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui : quia complácuit Dómino in te.
4 Dóminus fáciet tecum * misericórdiam, et veritátem, quia ostendísti grátiam et fidem.
5 Erúmpet quasi mane * lumen tuum, et anteíbit fáciem tuam justítia tua, et glória Dómini cólliget te.

Capitulum Is. 66, 12

HÆC dicit Dóminus : Ecce ego declinábo super eam quasi flúvium pacis, et quasi torréntem inundántem, glóriam géntium, quam sugétis : ad úbera portabímini, et super génua blandiéntur vobis.

Hymnus

IMménsa Christi cáritas
Majóra cogit ággredi
Apostolórum et Mártyrum
Auctam coróna vírginem.

Optans amóris víctima
Ex igne adúri mýstico,
Sponsum precátur últimas
Flammas vorántes éxcitet.

Æternitátis núntia
Optáta mors jam pérvenit :
Hæc íngemens : Te díligo!
Terésia ad Christum émigrat.

Cæléstibus nunc gáudiis
Fruens, ab arce síderum,
Quas lárgiter promíseras,
Rosas meménto spárgere.

Tu corde Rex mitíssime,
Qui párvulis regnum paras,
Nos hanc secútos íngredi
Præsta beáta límina.

* Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula.
Amen.

℣. Erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam. ℟. Et Deus tuus in glóriam tuam.

Ad Bened. Ant. Réquiem tibi dabit * Dóminus semper, et implébit splendóribus ánimam tuam; et eris quasi hortus irríguus, et sicut fons aquárum, cujus non defícient aquæ.

Oratio

DOmine, qui dixísti : Nisi efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum : da nobis, quæsumus; ita sanctæ Terésiæ Vírginis in humilitáte et simplicitáte cordis vestígia sectári, ut præmia consequámur ætérna : Qui vivis.

Ad Horas Ant. de Laud., Psalmi de Dominica; ad Primam tamen ut in Festis, et ad absolutionem Capituli : Lectio brevis Vidébitis, ut infra ad Nonam.

Scanné avec CamScanner

AD TERTIAM

Ant. Dóminus elégit te, * ut sis ei : et fáciat te in laudem, et nomen, et glóriam suam.

Capitulum Is. 66, 12

HÆC dicit Dóminus : Ecce ego declinábo super eam quasi flúvium pacis, et quasi torréntem inundántem, glóriam géntium, quam sugétis : ad úbera portabímini, et super génua blandiéntur vobis.

℟. br. Exsultábo et lætábor, Dómine, * In misericórdia tua. Exsultábo. ℣. Quóniam respexísti humilitátem meam. In. Glória Patri. Exsultábo.

℣. Anima mea exsultábit in Dómino. ℟. Et delectábitur super salutári suo.

Oratio

DOmine, qui dixísti : Nisi efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum : da nobis, quæsumus; ita sanctæ Terésiæ Vírginis in humilitáte et simplicitáte cordis vestígia sectári, ut præmia consequámur ætérna : Qui vivis.

AD SEXTAM

Ant. Eris coróna glóriæ * in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui : quia complácuit Dómino in te.

Capitulum Is. 66, 13

QUómodo si cui mater blandiátur, ita ego consolábor vos, et in Jerúsalem consolabímini.

℟. br. Anima mea * Exsultábit in Dómino. Anima. ℣. Et delectábitur super salutári suo. Exsultábit. Glória Patri. Anima.

℣. Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus. ℟. Psállite nómini ejus, quóniam suáve.

AD NONAM

Ant. Erúmpet quasi mane * lumen tuum, et anteíbit fáciem tuam justítia tua, et glória Dómini cólliget te.

Capitulum Is. 66, 14

VIdébitis, et gaudébit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinábunt; et cognoscétur manus Dómini servis ejus.

℟. br. Laudáte Dóminum, * Quia bonus Dóminus. Laudáte. ℣. Psállite nómini ejus, quóniam suáve. Quia. Glória Patri. Laudáte.

℣. Dóminus facit mirabília magna solus. ℟. Quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Scanné avec CamScanner

IN II VESPERIS

Antiphonæ et Capitulum de Laudibus; Psalmi ut in Communi Festorum Beatæ Mariæ Virginis.

Hymnus

Luce divína rutilántis aulæ
Sédibus, Virgo, frúeris, secúndans
Vota, promísso réfoves precántes
Imbre rosárum.

Sint rosæ nobis fídei supérnæ
Lumen affúlgens, columénque rebus
Spes in advérsis, et amóris almi
Vívida virtus.

Sint rosæ nobis tuus ille fidens
Candor infántis Dómino, patérno
Grata qui præbet vel acérba nostræ
Númine vitæ.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati paritérque Sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum.
Amen.

℣. Manus Dómini confortávit te. ℟. Et ídeo eris benedícta in ætérnum.

Ad Magnif. Ant. Benedíctus Dóminus, * quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

Et fit Commemoratio sequentis :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Francísci méritis fœtu novæ prolis amplíficas : tríbue nobis; ex ejus imitatióne, terréna despícere, et cæléstium donórum semper participatióne gaudére. Per Dóminum.

Complet. de Dominica.

Die 9 Octobris

Ss. Dionysii et Soc.

Patron. min. princip. diœcesis Versaliensis

Martyrum

Duplex majus

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Ad Magnif. Ant. Istórum est enim * regnum

Scanné avec CamScanner

cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Oratio

DEus, qui hodiérna die beátum Dionýsium Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborásti, quique illi, ad prædicándum Géntibus glóriam tuam, Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es : tríbue nobis, quǽsumus; eórum imitatióne, pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa : formidáre. Per Dóminum.

Et fit Commem. præced. :

Ant. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

DOmine, Deus noster, qui beátæ Birgíttæ per Fílium tuum unigénitum secréta cæléstia revelásti; ipsíus pia intercessióne da nobis, fámulis tuis; in revelatióne sempitérnæ glóriæ tuæ gaudére lætántes. (Per eúmdem Dóminum.)

Deinde Commem. S. Joannis Leonardi Confessoris :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DEus, qui beátum Joánnem Confessórem tuum ad fidem in géntibus propagándam mirabíliter excitáre dignátus es, ac per eum in erudiéndis fidélibus novam in Ecclésia tua famíliam congregásti : da nobis fámulis tuis; ita ejus institútis profícere, ut prǽmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

In I Nocturno

De Actibus Apostolórum

Lectio i Cap. 17, 15-34

QUI autem deducébant Paulum, perduxérunt eum usque Athénas, et accépto mandáto ab eo ad Silam et Timótheum, ut quam celériter venírent ad illum, profécti sunt. Paulus autem cum Athénis eos exspectáret, incitabátur spíritus ejus in ipso, videns idololátriæ déditam civitátem. Disputábat ígitur in synagóga cum Judæis et coléntibus, et in foro, per omnes dies, ad eos qui

Scanné avec CamScanner

áderant. Quidam autem epicuréi et stóici philósophi disserébant cum eo, et quidam dicébant : Quid vult seminivérbius hic dícere? Alii vero : Novórum dæmoniórum vidétur annuntiátor esse, quia Jesum et resurrectiónem annuntiábat eis. Et apprehénsum eum ad Areópagum duxérunt, dicéntes : Póssumus scire quæ est hæc nova, quæ a te dícitur, doctrína? Nova enim quædam infers áuribus nostris; vólumus ergo scire quidnam velint hæc esse. Atheniénses autem omnes, et ádvenæ hóspites, ad nihil áliud vacábant, nisi aut dícere, aut audíre áliquid novi.

℟. Abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis sanctórum : et jam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor : * Quóniam prióra transiérunt. ℣. Non esúrient neque sítient ámplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus. — Quóniam.

Lectio ii

STans autem Paulus in médio Areópagi, ait : Viri Atheniénses, per ómnia quasi superstitiosióres vos vídeo. Prætériens enim, et videns simulácra vestra, invéni et aram in qua scriptum est : Ignóto Deo. Quod ergo ignorántes cólitis, hoc ego annúntio vobis. Deus qui fecit mundum, et ómnia quæ in eo sunt, hic cæli et terræ cum sit Dóminus, non in manufáctis templis hábitat, nec mánibus humánis cólitur índigens áliquo, cum ipse det ómnibus vitam, et inspiratiónem et ómnia; fecítque ex uno omne genus hóminum inhabitáre super univérsam fáciem terræ, defíniens statúta témpora et términos habitatiónis eórum, quærere Deum, si forte attréctent eum, aut invéniant, quamvis non longe sit ab unoquóque nostrum. In ipso enim vívimus et movémur et sumus, sicut et quidam vestrórum poetárum dixérunt : Ipsíus enim et genus sumus.

℟. Viri sancti gloriósum sánguinem fudérunt pro Dómino, amavérunt Christum in vita sua, imitáti sunt eum in morte sua : * Et ídeo corónas triumpháles meruérunt. ℣. Unus spíritus et una fides erat in eis. — Et ídeo.

Lectio iii

GEnus ergo cum simus Dei, non debémus æstimáre auro, aut argénto, aut lápidi, sculptúræ artis et cogitatiónis hó-

Scanné avec CamScanner

minis, Divínum esse símile. Et témpora quidem hujus ignorántiæ despíciens Deus, nunc annúntiat hómínibus ut omnes ubíque pœniténtiam agant. Eo quod státuit diem in quo judicatúrus est orbem in æquitáte, in viro in quo státuit, fidem præbens ómnibus, súscitans eum a mórtuis. Cum audíssent autem resurrectiónem mortuórum, quidam quidem irridébant, quidam vero dixérunt : Audiémus te de hoc íterum. Quidam vero viri, adhæréntes ei, credidérunt; in quibus et Dionysius Areopágita, et múlier nómine Damáris, et álii cum eis.

℟. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia : * Et meruérunt habére corónas perpétuas. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Lectio iv

Dionýsius Athenién-sis, unus ex Areopagítis judícibus, vir fuit omni doctrínæ génere instrúctus. Qui cum adhuc in gentilitátis erróre versarétur, eo die quo Christus Dóminus cruci affíxus est, solem præter natúram defecísse animadvértens exclamásse tráditur : Aut Deus natúræ pátitur, aut mundi máchina dissólvitur. Sed cum Paulus Apóstolus véniens Athénas, et in Areopágum ductus, ratiónem reddidísset ejus doctrínæ quam prædicábat affírmans Christum Dóminum resurrexísse, et mórtuos omnes in vitam reditúros esse, cum álii multi, tum ipse Dionýsius in Christum crédidit. Itaque baptizátus est ab Apóstolo, et Atheniénsium Ecclésiæ præféctus.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in Mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v

QUI cum póstea Romam venísset, a Cleménte Pontífice missus est in Gálliam, prædicándi Evangélii causa. Quem Lutétiam usque Parisiórum Rústicus Présbyter et Eleuthérius Diáconus prosecúti sunt. Cum ibi, et per finítimas regiónes

tránsiens, per áliquot annos commíssum sibi opus fidéliter prosequerétur, multósque ad christiánam religiónem convertísset, a Fescenníno præfécto conquísitus, et in jus vocátus cum sóciis, virgis cæsus est. Verum in prædicatióne christiánæ fídei constantíssime persevérans, in cratículam subjécto igne injícitur, multísque prætérea supplíciis una cum sóciis cruciátur.

℟. Vérbera carnífícum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut hærédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut hærédes.

Lectio vi

SED ea tormentórum génera ómnibus forti ac libénti ánimo perferéntibus, Dionýsius annum agens supra centésimum, cum réliquis secúri percútitur, séptimo idus Octóbris. Libros : scripsit admirábiles ac plane cæléstes, de divínis nomínibus, de cælésti et eccleziástica hierarchía, de mýstica theología, et álios quosdam. Horum Mártyrum córpora in Sequánam próJici jussa matróna quædam Evangélii fidem amplexári méditans, elúsis milítibus, secum avéxit, et sexto ab urbe lápide sepelívit. Illic deínceps basílica a christiánis, sancta Vírgine Genovéfa potíssimum agénte, constrúcta, magnificentíssime a Dagobérto rege instaurata est, et Mártyrum túmulus arte et ópere beáti Elígii máximis ornaméntis decorátus; ad quem Dagobértus primum, exínde céteri Francórum reges, Mártyrum patrocíniis regno speciáliter dicáto, tumulári ambiérunt, et sanctum Dionýsium ut Galliárum Apóstolum et primum Sacerdótem omni religiónis offício prosecúti sunt.

℟. Tamquam aurum in fórnace probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos : et in témpore erit respéctus illórum : * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. — Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum

Lectio vii Cap. 16, 15-18

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum uni-

Scanné avec CamScanner

vérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 253, n. 1-2

Udístis quid díxerit Dóminus discípulis suis post resurrectiónem. Misit eos ad Evangélium prædicándum, et factum est : prædicátum est Evangélium, pervénit ad nos. Et ecce in omnem terram éxiit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. Ambulándo et ambulándo, Evangélium pervénit ad nos, et ad fines terræ. Bréviter constítuit nobis, loquens discípulis suis, quid faciámus, quid sperémus. Ait enim : Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit. Exígitur a nobis fides, offértur salus. Pretiósum est quod nobis promíttitur. Sed quid? audi : Fílii hóminum sub tégmine alárum tuárum sperábunt; inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ, et torrénte voluptátis tuæ potábis eos; quóniam apud te est fons vitæ. Christus est fons vitæ : fons vitæ venit ad nos, et fons vitæ mórtuus est propter nos. Negábit vitam suam, qui nobis erogávit mortem suam? Ipsa est salus, quæ non est vana. Quare? quia non transit.

℟. Propter testaméntum Dómini et leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum. — Quia.

Lectio viii

SAlvátor venit; mórtuus est; sed mortem occídit; sinívit in se quam timebámus; suscépit illam, et occídit illam. Ubi est mors? Quære in Christo, jam non est; sed fuit, et mórtua est ibi. O vita, mors mortis! Bono ánimo estóte; moriétur et in nobis. Quod præcéssit in cápite reddétur in membris; moriétur et in nobis mors. Sed quando? in fine sæculi, in resurrectióne mortuórum quam crédimus; qui enim credíderit, et baptizátus fúerit, ipse salvus erit. Séquere quod tímeas : qui autem non credíderit, condemnábitur. Ergo mors moriétur in nobis, victúra est in damnátis. Ubi mors nésciet mortem, sempitérna mors erit; quia ætérna torménta erunt. In nobis moriétur et non erit. Vultis nosse? Dico vobis pauca verba triumphántium,

Scanné avec CamScanner

ut habeátis quod medité-mini, quod corde cantétis, quod toto ánimo sperétis, quod fide et bono ópere requirátis.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis : * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. — Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Pro S. Joanne Leonardi Confessore Lectio ix, ut in Breviario.

Si autem Lectio ix alicujus Officii commemorati dicenda non sit, erit sequens :

Lectio ix

AUdíte verba triumphántium, quando non erit mors. Paulus Apóstolus dicit : Opórtet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, et mortále hoc indúere immortalitátem. Tunc fiet sermo qui scriptus est : Absórpta est mors in victória. Ista est mors mortis; absorbébitur ut non appáreat. Gáudeant triumphántes, gáudeant; dicant quod séquitur ubi est, mors, victória tua? ubi est, mors, acúleus tuus? ubi est? Nonne confrégit illum Dóminus meus? O mors! quando Dómino meo hæsísti, tunc et mihi periísti. Ista salúte salvus erit qui credíderit, et baptizátus fúerit; qui autem non credíderit condemnábitur. Fúgite condemnatiónem, amáte et speráte salútem ætérnam. Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

DEus, qui hodiérna die beátum Dionýsium Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborásti, quique illi, ad prædicándum Géntibus glóriam tuam, Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es : tríbue nobis, quæsumus; eórum imitatióne, pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Joannis Leonardi :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Scanné avec CamScanner

Oratio

DEus, qui beátum Joánnem Confessórem tuum ad fidem in géntibus propagándam mirabíliter excitáre dignátus es, ac per eum in erudiéndis fidélibus novam in Ecclésia tua famíliam congregásti: da nobis fámulis tuis; ita ejus institútis profícere, ut præmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Magnif. Ant. Gaudent in cælis * ánimæ sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

Oratio

DEus, qui hodiérna die beátum Dionýsium Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborásti, quique illi, ad prædicándum Géntibus glóriam tuam, Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es: tríbue nobis, quæsumus; eórum imitatióne, pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

Et fit Commem. sequentis:

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram. ℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DOmine Jesu Christe, veræ humilitátis et exémplar et prémium: quæsumus; ut, sicut beátum Francíscum in terréni honóris contémptu imitatórem tui gloriósum effecísti, ita nos ejúsdem imitatiónis et glóriæ tríbuas esse consórtes: (Qui vivis et regnas.)

Deinde Commem. S. Joannis Leonardi:

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio Deus, qui beátum, ut supra.

Die 12 Octobris

Ss. Nicasii Episcopi et Sociorum

Martyrum

Duplex II classis

Omnia de Communi plurimorum Martyrum præter Orationem et Lectiones II Noct.

Scanné avec CamScanner

Oratio

DEus, qui lucem hábitas inaccessíbilem, et sancti Nicásii Sociorúmque ejus ministério de ténebris ad lumen nos vocáre dignátus es : præsta, quæsumus; ut eórum pia intercessióne crescámus in grátia et cognitióne Dómini nostri Jesu Christi : Qui tecum vivit et regnat.

In I Vesperis fit Commemoratio præcedentis :

Ant. Matérnitas tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo; ex te enim ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Oratio

DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti : præsta supplícibus tuis, ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum.

Completorium de Dominica.

In I Nocturno Lectiones Fratres : Debitóres, de Communi I loco.

In II Nocturno

Lectio iv

NIcásius, primus Rothómagi a beáto Cleménte Summo Pontífice destinátus epíscopus, Dionýsium in Gállias proficiscéntem prosecútus est, quem Lutétiæ relínquens, ipse cum Quiríno Presbýtero et Scuvículo Diácono Rothomagénsem agrum pétiit. Transmísso Isáræ flúvio, intra fines Velocássium cónstitit, ubi infidélium mentes ignorántiæ ténebris et umbra mortis deténtas evangélicæ veritátis lúmine, juvántibus sóciis, perfúndere exórsus est. In prædium Vallem nómine, secus Pontísaram devéniens, trecéntas et ámplius ánimas una vice in fonte, qui ex hinc sancti Nicásii fons nuncupátus est, sacro baptísmate regenerávit.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in Mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torrentes inundavérunt. — Terra apparuit.

Scanné avec CamScanner

Lectio v

VUlcassínum pagum indefésse prædicándo peragrávit, univérsam regiónem sic suis labóribus illústrans ut apostolátus ejus memória íbidem in summo et débito honóre perseveráverit. Apud Montícas juxta Séquanam haud procul a Rupe Guidónis, stupéndis signis dæmonem profligávit magnámque infidélium turbam ad Christum convértit : inter quos Piéntia, regiónis istíus ínclyta virgo, et falsórum núminum sacérdos, nómine Clarus, quem a cæcitáte mirabíliter sanáverat, præcípue numeréntur. Inde transgréssus, cum in Fescenníni præfécti manus non longe ab eo loco incidísset, ipsíus jussu una cum duóbus sóciis cápite plexus, prædicatiónis laudem martýrii glória cumulávit, et prius áttigit palmam quam sedem.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut hærédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut hærédes.

Lectio vi

CUjus et sociórum córpora a beáta Piéntia, quæ cum Claro póstea martýrio vitam finívit, Ganiáci in ínsula Ittæ honorífice sepúlta sunt. Ibidem éxstitit olim sacéllum nómine sancti Nicásii insignítum, ubi regnánte Cárolo Calvo sacra martýrii ossa repósita sunt. Circa annum octingentésimum quadragésimum secúndum, transláta sunt in ínsulam quam prope Melléntum ambit Séquana, ubi exstrúctum est áliud sacéllum sub título sancti Nicásii; in quo ejúsdem et Scuvículi reliquiárum pars asservabátur; pars áltera Rothómagum transláta est et collocáta prope corpus sancti Audoéni in basílica Príncipis Apostolórum. Sancti Quiríni relíquiæ cum sancti Nicásii bráchio témpore Cároli Calvi donátæ sunt mónachis monastérii Malmundariénsis, in fínibus territórii Leodiénsis et Coloniénsis. Sanctæ Piéntiæ relíquiæ, in ecclésiam Abrincénsem deportátæ, íbidem ante illíus excídium magno honóre asservabántur et colebántur. In agro autem Vulcassíno tamquam Apóstolus et Patrónus hucúsque invocátur Nicásius Póntifex et Martyr Dómini gloriósus.

℟. Tamquam aurum in fórnace probávit eléctos Dóminus, et quasi holo-

Scanné avec CamScanner

cáusti hóstiam accépit illos : et in témpore erit respéctus illórum : * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. — Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Nocturno Homilia in Evang. Descéndens Jesus de monte, de eodem Communi 2 loco.

Oratio

DEus, qui lucem hábitas inaccessíbilem, et sancti Nicásii Sociorúmque ejus ministério de ténebris ad lumen nos vocáre dignátus es : præsta, quæsumus; ut eórum pia intercessióne crescámus in grátia et cognitióne Dómini nostri Jesu Christi : Qui tecum.

Die 22 Octobris

S. Melloni

Episcopi et Confessoris

Simplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

OMnípotens Deus, qui beátum Mellónum Pontíficem pópulo tuo præésse, ac verbo et exémplo prodésse voluísti : eódem intercedénte, pastóres Eccléśiæ tuæ, cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

Lectio iii

MEllónus, seu Melánius, cum Aviciáno et áliis quibúsdam a Stéphano Papa in Gállias missus, Rothómagi Christiánam fidem annuntiávit, sedémque episcopálem ea in urbe primus constítuit. Qui, cum doctrína, exémplo et miráculis fidéles confirmásset, plenus méritis in Dómino quiévit, succedénte Aviciáno, qui intérfuit Concílio Arelaténsi primo, sub Constantíno Imperatóre. Corpus ejus primum, prope Rothómagum, in suburbána crypta, quæ nunc eccléśia sancti Gervásii súbjacet, sepúltum, et inde Pontisáram, Danórum metu, delátum est. In ea urbe, ante annum millésimum ducentésimum quinquagésimum, exstábat Collégium Canonicó-

Scanné avec CamScanner

rum in ecclésia sub título sancti Mellóni dedicáta deserviéntium, ubi sacrum corpus religióse colebátur. Te Deum laudámus.

Vesperæ de sequenti.

Die 23 Octobris

S. Romani

Episcopi Rothomagensis et Conf. Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

DEus, qui per beátum Románum, Confessórem tuum atque Pontíficem, non credéntem pópulum ad tui nóminis agnitiónem evocásti: méntibus nostris eámdem infúnde fídei caritatísque virtútem; ut, cujus gloriósis semper adjuvámur præsídiis, sanctíssimis provocémur exémplis. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

BEnedíctus, cujus uxor Felícitas diu suam gemúerat sterilitátem, Románum virtútis et facultátum herédem précibus et eleemósynis a Deo impetrávit; (quem natum esse in loco dicto Wy, diœcésis Versaliénsis, quibúsdam satis probabílibus indíciis confirmáta traditióne fertur). Paréntes, non minus pietáte quam génere commendábiles, fílium óptimis stúdiis a puerítia tam sédulo ímbui curavérunt, ut factus adoléscens ad summa virtútum pertíngeret. In aulam Clotárii secúndi missus, castitátis, justítiæ et mansuetúdinis illústre fuit exémplar. Jussus a rege inter primóres sanctióribus adésse consíliis, commíssas sibi partes egrégie et laudabíliter sustínuit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v

MOrtuo Antístite Rothomagénsi, variantibúsque de eligéndo successóre suffrágiis, tandem indíctis jejúnio et précibus, cómmuni ómnium voto, Románus renuntiátus est Episcopus. Gratum hábuit Clotárius ássumi in Præsulem, quem in par-

Scanné avec CamScanner

tem régiæ sollicitúdinis vocáverat. Manifestis vocatiónis divínæ indíciis, pastorále suscépit onus. Vix Rothómagum accésserat, et Véneris delúbrum a paucis, qui in civitáte supérerant, pagánis frequentátum fúnditus evértit. Alia deínceps in diœcési, Jovi, Mercúrio et Apóllini mancipáta páriter disturbávit. Suscépta pastoráli cura, inspéxit sibi commíssas oves, et contínuis labóribus debilitári non pátiens, diœcésim lustrávit, bonos promóvit ad méliora, malos a malis revocávit. Eam státuit in clero disciplínam, ut pudor esset súbditis a régula defléctere. Ipse forma factus gregis, cibi et somni parcus, in sacris celebrándis pius et frequens, rerum divinárum jugi meditatióne ánimum refécit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi

Divínæ virtútis operátio quæ in eo enítuit, summam dictis et factis auctoritátem conciliávit. Séquanæ et campos et ipsam civitátem inundánti occúrrens, intumescéntes aquas dilúvio jussit abstinére, et intra statos límites ad vocem altérius Móysis, dócilis flúvius compréssus est. Alia et vivens et mórtuus édidit signa, quibus óptimi pastóris sánctitas elúxit. A Deo præmónitus mortem suscépit. Dum vixit, pópuli pater et norma Cleri, post óbitum inter sanctos et diœcésis præcípuos tutóres recólitur. Regnánte Ludovíco Pio, in Monastérium sancti Medárdi Suessiónum caput est delátum. Anno millésimo nonagésimo fuit restitútum et cum réliquis óssibus, a Guliélmo Archiepíscopo, in Metropolitána ecclésia depósitum. Deínde anno millésimo septingentésimo septuagésimo sexto in capsam ómnium sanctórum jam ántea dictam, nunc vero nuncupátam sancti Románi ferétrum, collocátum. Ejus sarcóphagus olim in crypta ecclésiæ sancti Gildárdi recónditus, nunc altári majóri ecclésiæ sancti Románi súbjacet.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et

Scanné avec CamScanner

pervénit ad cæléstia regna. — Ipse. Glória Patri. Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum.

In III Nocturno Homilia in Evang. Vigiláte, de Communi Conf. Pont. 2 loco.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DEus, qui per beátum Románum, Confessórem tuum atque Pontíficem, non credéntem pópulum ad tui nóminis agnitiónem evocásti : méntibus nostris eámdem infúnde fídei caritatísque virtútem; ut, cujus gloriósis semper adjuvámur præsídiis, sanctíssimis provocémur exémplis. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit.

Oratio Deus, qui per beátum Románum, ut supra.

FESTA NOVEMBRIS

Die 5 Novembris

Ss. Reliquiarum

Duplex majus

IN I VESPERIS

Ant. 1 Illi viri * misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt; memória eórum non derelinquétur.

Psalmi de Dominica, sed loco ultimi, Ps. 116 Laudáte Dóminum omnes Gentes.

2 Ossa eórum * púllulent de loco suo, nam corroboravérunt Jacob, et redemérunt se in fide virtútis.

3 In morte * mirabília operáti sunt; ossa ipsórum visitáta sunt, et post mortem prophetavérunt.

4 Implévit Deus * splendóribus ánimas eórum, et ossa eórum liberábit.

5 Super muros Jerúsalem * constítui custódes, tota die et tota nocte in perpétuum non tacébunt.

Capit. Eccli. 44, 15

GOrpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem; sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Scanné avec CamScanner

Hymnus

O Vos unánimes, christiádum chori,
Sanctórum túmulos et cíneres patrum,
Dulces exúvias, pígnora cælitum,
Lætis dícite cántibus.

Cælo quando piis æqua labóribus,
Felíces ánimæ gáudia póssident,
Pœnárum sóciis débita rédditur
Hic laus et decus óssibus.

Passim sparsa Deus, pollíciti memor,
Custos, ne péreant, pígnora cólligit;
Electósque suis próvidus ággerit
Aptándos lápides locis.

Quin et relíquias et túmulos sibi
Aras ipse Deus cónsecrat hóstia;
Conjungénsque suis se caput ártubus,
Hos secum simul ímmolat.

Vos quorum cíneres supplícibus pia,
Tutum præsídium, plebs colit ósculis;
Si vos nostra movent, subsídium boni
Vestris ferte cliéntibus;

Ut cum nostra nova spléndida dótibus,
Surget juncta choris spirituum caro,
Indivísa Trias sit Deus ómnia
Nobis semper in ómnibus.
Amen.

℣. Custódit Dóminus ómnia ossa eórum. ℟. Unum ex his non conterétur.

Ad Magnif. Ant. Amodo jam dicit Spíritus, * ut requiéscant a labóribus suis; ópera enim illórum sequúntur illos.

Oratio

AUge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in sanctórum tuórum relíquiis mirabília operáris : et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

Et fit Commem. præced. :

Ant. Amávit eum.

℣. Justum dedúxit.

Oratio

ECclésiam tuam, Dómine, sancti Cároli Confessóris tui atque Pontíficis contínua protectióne custódi : ut, sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit; ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre fervéntes. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. Octavæ :

Ant. O quam gloriósum est regnum * in quo cum Christo gaudent omnes

Scanné avec CamScanner

Sancti, amícti stolis albis sequúntur Agnum quocúmque íerit!

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quæsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

Completorium de Feria.

AD MATUTINUM

Invit. Mirábilem in sanctis suis Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus O vos unánimes, ut supra. p. 69

In I Nocturno

Ant. Dixit Deus : * Ego sum qui sum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob : hoc nomen mihi est in ætérnum.

Psalmi trium Nocturnorum de Comm. plurimorum Mm.

Ant. De manu * mortis liberábo eos : de morte rédimam eos.

Ant. Fáciam * propter servos meos, ut non dispérdam totum; adhuc illis loquéntibus, ego áudiam.

℣. Orábit ad te omnis sanctus. ℟. In témpore opportúno.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

Lectio i Cap. 15, 19-44

SI in hac vita tantum in Christo sperántes sumus, miserabilióres sumus ómnibus homínibus. Nunc autem Christus resurréxit a mórtuis, primítiæ dormiéntium; quóniam quidem per hóminem mors, et per hóminem resurréctio mortuórum. Et sicut in Adam omnes moriúntur, ita et in Christo omnes vivificabúntur; unusquísque autem in suo órdine : primítiæ Christus; deínde ii qui sunt Christi, qui in advéntu ejus credidérunt. Deínde finis; cum tradíderit regnum Deo et Patri, cum evacuáverit omnem principátum et potestátem et virtútem. Opórtet autem illum regnáre, donec ponat omnes inimícos sub pédibus ejus. Novíssima autem inimíca destruétur mors. Omnia enim subjécit sub pédibus ejus. Cum autem dicat : ómnia subjécta sunt ei, sine dúbio præter eum qui subjécit

Scanné avec CamScanner

ei ómnia. Cum autem subjécta fúerint illi ómnia, tunc et ipse Fílius subjéctus erit ei qui subjécit sibi ómnia, ut sit Deus ómnia in ómnibus.

℟. Abel testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibénte munéribus ejus Deo, * Et per fidem defúnctus adhuc lóquitur. ℣. Dixit Dóminus ad Caïn : Quid fecísti? vox sánguinis fratris tui clamat ad me de terra. — Et per fidem.

Lectio ii

ALióquin quid fácient qui baptizántur pro mórtuis, si omníno mórtui non resúrgunt? ut quid et baptizántur pro illis? ut quid et nos periclitámur omni hora? Quotídie mórior per vestram glóriam, fratres, quam hábeo in Christo Jesu Dómino nostro. Si (secúndum hóminem) ad béstias pugnávi Ephési, quid mihi prodest, si mórtui non resúrgunt? Manducémus et bibámus, cras enim moriémur. Nolíte sedúci : corrúmpunt mores bonos collóquia mala. Evigiláte, justi, et nolíte peccáre; ignorántiam enim Dei quidam habent : ad reveréntiam vobis loquor.

℟. Cum emisísset Phárao pópulum, tulit Móyses ossa Joseph secum, eo quod adjurásset fílios Israël, dicens : * Visitábit vos Deus, efférte ossa mea hinc vobíscum. ℣. Fide Joseph móriens, de protectióne filiórum Israël memorátus est, et de óssibus suis mandávit. — Visitábit.

Lectio iii

SED dicet áliquis : Quómodo resúrgunt mórtui? qualíve córpore vénient? Insípiens, tu quod séminas non vivificátur, nisi prius moriátur. Et quod séminas, non corpus quod futúrum est séminas, sed nudum granum, ut puta tríciti aut alicújus ceterórum. Deus autem dat illi corpus sicut vult, et unicuíque séminum próprium corpus. Non omnis caro éadem caro; sed ália quidem hóminum, ália vero pécorum, ália vólucrum, ália autem píscium. Et córpora cæléstia, et córpora terréstria : sed ália quidem cæléstium glória, ália autem terréstrium. Alia cláritas solis, ália cláritas lunæ, et ália cláritas stellárum : stella enim differt a stella in claritáte; sic et resurréctio mortuórum. Seminátur in corruptióne, surget in incorruptióne. Seminátur in ignobilitáte, surget

in glória. Seminátur in infirmitáte, surget in virtúte. Seminátur corpus animále, surget corpus spiritále.

℣. Projecérunt cádaver in sepúlcro Eliséi; quod * Cum tetigísset ossa Eliséi, * Revíxit homo et stetit super pedes suos. ℣. Per fidem accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos. — Cum. Glória Patri. Revíxit.

In II Noeturno

Ant. Dico vobis * amícis meis : Ne terreámini ab iis qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quid fáciant.

Ant. Nonne * quinque pásseres véneunt dipóndio? et unus ex eis non est in oblivióne coram Deo.

Ant. Capílli * cápitis vestri omnes numeráti sunt : nolíte timére, multis passéribus pluris estis vos.

℣. Custódit Dóminus ómnia ossa eórum. ℟. Unum ex his non conterétur.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

Lectio iv

Homilia 25 in II Cor., 5

Sepúlcra sanctórum qui Crucifíxo serviérunt, régias aulas splendóre vincunt, non magnitúdine aut pulchritúdine ædificiórum; nam hac parte illa súperant; sed, quod multo majus est, coeúntium stúdio. Nam et ille qui púrpuram gestat, ad sepúlcra illa se confert ut ea exosculétur : abjectóque fastu, supplex stat, sanctósque óbsecrat ut sibi apud Deum præsídio sint : atque ut tentoriórum opíficem et piscatórem, et quidem vita functos, patrónos hábeat, précibus is conténdit qui diadémate cinctus est. Ergóne, dic, quæso, horum Dóminum mórtuum dícere audébis cujus servi étiam defúncti, eórum qui univérso orbi ímperant patróni sunt? Atque id non solum Romæ fíeri quisquam víderit, sed étiam Constantinópoli. Nam et hic quoque Constantínum magnum fílius ita demum ingénti honóre se affectúrum exsistimávit, si eum in piscatóris vestíbulo cónderet. Quodque imperatóribus sunt in aulis janitóres, hoc in sepúlcro piscatóribus sunt imperatóres.

℟. Amen, amen dico vobis; qui credit in me, ópera quæ ego fácio et ipse fáciet, et majóra horum fáciet; * Et quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, hoc fáciam. ℣. Dabo vos in

Scanné avec CamScanner

nomen et in laudem ómnibus pópulis terræ. — Et quodcúmque.

Lectio v

QUod si cum imperatóriis aulis hæc sepúlcra conférre líbeat, penes hæc rursus victória futúra est. Illic enim multi sunt qui turbam submóveant; hic contra multi qui invítent, atque et dívites et páuperes, et viros et fémінas, et servos ac líberos áttrahant. Illic ingens terror, hic lætítia quæ nullis verbis explicári queat. Et dulce spectáculum est imperatórem auro amíctum et coróna redimítum vidére, adstantésque béllicos duces, præféctos, tribúnos, centuriónes, prætóres. Verum hæc ádeo illis augustióra magísque treménda sunt, ut præ istis illa scena quædam ac merus ludus censéri possint. Simul enim ac límina transiliéris, locus ipse mentem ad cælum, ad supernum regem, ad Angelórum exércitum, ad sublíme illud sólium, ad inaccéssam glóriam transmíttit.

℟. Per manus Apostolórum fiébant prodígia, ita ut in platéas ejícerent infírmos, ut, veniénte Petro, saltem umbra illíus obumbráret quemquam illórum, * Qui curabántur omnes. ℣. Misericórdia tua, Dómine, advéniens sanábat illos. — Qui.

Lectio vi

SAnctórum ossa dæmónes sistunt et excrúciant, acerbissimísque illis vínculis eos qui adstricti sunt, solvunt. Quid hoc tribunáli terribílius fingi potest? Cum nemo cernátur, nemo dæmonis láteri incúmbat, voces et dilacerationes, vérbera et cruciátus, linguæ conflagrántes audiúntur, dæmone admirábilem poténtiam mínime ferénte. Atqui isti qui córpora gestárunt, virtútes córpore vacántes súperant; pulvísque, ossa et cinis natúras illas invisíbiles dilácerant. Ideo nemo est qui peregrinatiónem umquam iníre sustíneat, ut imperatórum aulas vídeat : contra, multi plerúmque imperatóres péregre profécti sunt, ut hoc spectáculo frueréntur, si quidem sanctórum mártyrum templa futúri judícii vestígia et signa exhíbent, dum dæmones flagris cædúntur, hominésque castigántur ac liberántur. Viden quæ sanctórum, étiam vita functórum, vis sit?

℟. Virtútes non quáslibet faciébat Deus per manum Pauli, ita ut sudaria per lánguidos deferréntur

Scanné avec CamScanner

a córpore ejus sudária et semicínctia: * Et † recedébant ab eis languóres, et spíritus nequam egrediebántur. ℣. Quis símilis tui, Dómine, magníficus in sanctitáte, fáciens mirabília! Extendísti manum tuam. — Et recedébant. Glória Patri. Recedébant.

In III Noeturno

Ant. Ossa árida, * audíte verbum Dómini.

Ant. Dicit Dóminus * Deus óssibus his : Ecce ego intromíttam in vos spíritum et vivétis.

Ant. Dabo super vos nervos, * et succréscere fáciam super vos carnes, et superexténdam in vobis cutem; et dabo vobis spíritum et vivétis.

℣. Exsultábunt Dómino. ℟. Ossa humiliáta.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 20, 27-38

IN illo témpore : Accessérunt quidam Sadducæórum, qui negant esse resurrectiónem. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbýteri

Epist. 57, Al. 75, adv. Vigil.

GOlet Vigilántius Mártyrum relíquias pretióso operíri velámine, et non vel pannis, vel cilício colligári, vel prójici in sterquilínium, ut solus Vigilántius adoréquando Apostolórum basílicas ingrédimur? Sacrílegus fuit Constántius Imperátor, qui sanctas reliquias Andréæ, Lucæ et Timóthei tránstulit Constantinópolim, apud quas dæmones rúgiunt, et illórum se sentíre præséntiam confiténtur? Omnes Epíscopi non solum sacrílegi, sed et fátui judicándi, qui rem vilíssimam et cíneres dissolútos in sérico et vase áureo portavérunt? Mórtuum suspicáris, idcírco blasphémas. Lege Evangélium : Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob non est Deus mortuórum, sed vivórum.

℟. Multi de his qui dórmiunt in terræ púlvere * Evigilábunt in vitam ætérnam, et fulgébunt quasi splendor firmaménti, et quasi stellæ in perpétuas ætérnitátes. ℣. Quia resúrgant mórtui, Móyses osténdit secus rubum, sicut dicit, Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob; Deus autem non est mortuórum, sed vivórum. — Evigilábunt.

Lectio viii

DIcis in libéllo tuo quod dum vívimus, mútuo pro nobis oráre póssu-

Scanné avec CamScanner

mus; postquam autem mórtui fuérimus, nullíus sit pro álio exaudiénda orátio : præsértim cum Mártyres ultiónem sui sánguinis obsecrántes impetráre non quíverint. Si Apóstoli et Mártyres adhuc in córpore constitúti possunt oráre pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse sollíciti, quanto magis post corónas, victórias et triúmphos.

℟. Ecce ego apériam túmulos vestros, et edúcam vos de sepúlcris vestris, pópulus meus; * Et sciétis quia ego Dóminus locútus sum, et feci. ℣. Ego sum resurréctio et vita; qui credit in me etiám si mórtuus fúerit, vivet. — Et sciétis. Glória Patri. Et sciétis.

Lectio ix

UNus homo Móyses sexcéntis míllibus armatórum ímpetrat a Deo véniam; et Stéphanus, imitátor Dómini sui et primus Martyr in Christo, pro persecutóribus véniam deprecátur, et postquam cum Christo esse cœperint, minus valébunt? Paulus Apóstolus ducéntas septuagínta sex sibi dixit in navi ánimas condonátas; et postquam, resolútus, esse cœperit cum Christo, tunc ora clausúrus est, et pro iis qui in toto orbe ad suum Evangélium credidérunt, mutíre non póterit?

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. 1 Illi viri * misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt; memória eórum non derelinquétur.

Psalmi de Dominica.

2 Ossa eórum * púllulent de loco suo, nam corroboravérunt Jacob, et redemérunt se in fide virtútis.

3 In morte * mirabília operáti sunt; ossa ipsórum visitáta sunt, et post mortem prophetavérunt.

4 Implévit Deus * splendóribus ánimas eórum, et ossa eórum liberábit.

5 Super muros Jerúsalem * constítui custódes, tota die et tota nocte in perpétuum non tacébunt.

Capitulum Eccli. 44, 15

CORpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem; sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Hymnus

ADéste, sancti, plúrimo
Dum thure, vestra dum piis
Colúntur ossa rítibus,
Votis favéte súpplicum.

Non illa, quamquam tristibus
Imum redácta in púlverem
Dudum sepúlcris squáleant,
Divína virtus déserit.

Sed sancta præsénti fovet
Implétque templa Númine,
Sed et futúræ Spíritus
Post sæcla servat glóriæ.

Hinc ille qui nostris latet
Cinis sub aris cónditus,
Ægris medétur éfficax,
Torquet fugátque dæmones.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui dat resurgéndi fidem :
Quo templa nos sumus tua,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Qui séminant in lácrymis. ℟. In exsultatióne metent.

Ad Bened. Ant. Vivent mórtui tui, Israël; * interfécti mei resúrgent : expergiscímini et laudáte, qui habitátis in púlvere, allelúja.

Oratio

AUge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in sanctórum tuórum relíquiis mirabília operáris : et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

Et fit Com. Octavæ.

Ant. Te gloriósus Apostolórum chorus, te Prophetárum laudábilis número, te Mártyrum candidátus laudat exércitus: te omnes Sancti et elécti voce confiténtur unánimes, beáta Trínitas, unus Deus.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quæsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

Ad Horas minores, Antiphonæ et Psalmi de Feria.

AD PRIMAM

Ad absolutionem Capituli : Lectio brevis Mórtui estis, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM

Capitulum Eccli. 44, 15

CORpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem; sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

℟. br. Lætámini in Dómino, * Et exsultáte, justi. Lætámini. ℣. Et gloriámini, omnes recti corde.

Scanné avec CamScanner

Et exsultáte. Glória Patri. Lætámini.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

AD SEXTAM

Capitulum Rom. 8, 11

SI spíritus ejus qui suscitávit Jesum a mórtuis hábitat in vobis, qui suscitávit Jesum a mórtuis vivificábit et mortália córpora vestra, propter inhabitántem Spíritum ejus in vobis.

℟. br. Exsúltent justi * In conspéctu Dei. Exsúltent. ℣. Et delecténtur in lætítia. In conspéctu. Glória Patri. Exsúltent.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

AD NONAM

Capitulum Coloss. 3, 3

MOrtui estis, et vita vestra est abscóndita cum Christo in Deo. Cum Christus apparúerit, vita vestra, tunc et vos apparébitis cum ipso in glória.

℟. br. Justi autem * In perpétuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In perpétuum. Glória Patri. Justi. ℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubículis suis.

In Ecclesiis consecratis, excepta Cathedrali, Vesperæ de sequenti absque Commemoratione. Complet. de Dom. Pro aliis Ecclesiis. :

IN II VESPERIS

Omnia ut in I Vesperis. Psalmi de Dominica, sed loco ultimi dicitur Ps. 115 Crédidi, ut in Vesp. Feriæ secundæ.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Magnif. Ant. Cum a mórtuis resurréxerint, * erunt sicut ángeli in cælis; neque enim ultra mori potérunt; et fílii sunt Dei cum sint fílii resurrectiónis, allelúja.

Et fit Commem. sequentis :

Ant. Angeli, Archángeli, Throni et Dominatiónes, Principátus et Potestátes, Virtútes cælórum, Chérubim atque Séraphim, Patriárchæ et Prophétæ, sancti legis Doctóres, Apóstoli, omnes Christi Mártyres, sancti Confessóres, Vírgines Dómini, Anachorítæ, Sanctíque omnes, intercédite pro nobis.

Sabbato autem, in I Vesperis Dominicæ, Antiphona erit sequens :

Ant. O quam gloriósum est regnum in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amícti stolis albis sequúntur Agnum quocúmque íerit!

Scanné avec CamScanner

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quæsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

Completorium de Feria.

Die 6 Novembris

In Ecclesiis consecratis, excepta Cathedrali

In Dedicatione Ecclesiæ propriæ

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Comm. Dedicat.

Diebus 7, 8, 10 et 11 Novembris

In Ecclesiis consecratis excepta Cathedrali,

Pro Commemoratione

Octavæ Dedicationis Ecclesiæ propriæ

quæ fit ante Commemorationem Festi simplicis

AD LAUDES

Ant. Zachæe, festínans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manére. At ille festínans descéndit, et suscépit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est, allelúja.

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

AD VESPERAS

Ant. O quam metuéndus est locus iste : vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Oratio

DEus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes : exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Die 11 Novembris

S. Martini

Episcopi et Confessoris

Duplex majus

Omnia ut in Proprio Sanctorum præter ritum.

In I Vesperis, quæ dicendæ sunt integræ, Antiphonæ de Laudibus, Psalmi ut in I Vesperis de Communi App.

Scanné avec CamScanner

Die 12 Novembris

In Dedicatione Ecclesiæ Cathedralis

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Communi Dedicationis, ut in Breviario.

In I Vesperis nulla Commemoratio.

Ad Laudes tantum fit Commemoratio S. Martini I Papæ et Martyris :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Martínum Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Eccléstæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

In Ecclesiis consecratis, excepta Cathedrali, fit Commemoratio sequentis :

Ant. Sanctificávit Dóminus tabernáculum suum : quia hæc est domus Dei, in qua invocábitur nomen ejus, de quo scriptum est : Et erit nomen meum ibi, dicit Dóminus.

℣. Hæc est domus.

Oratio

DEus, qui invisibíliter ómnia cóntines, et tamen pro salúte géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibíliter osténdis : templum hoc poténtia tuæ inhabitatiónis illústra, et concéde; ut omnes, qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiónis tuæ benefícia consequántur. Per Dóminum.

Deinde fit Commem. S. Didaci Confessoris (quæ est unica Commemoratio in Ecclesiis non consecratis et Cathedrali) :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui dispositióne mirábili infírma mundi élegis, ut fórtia quæque confúndas : concéde propítius humilitári nostræ : ut, piis beáti Dídaci Confessóris tui précibus, ad perénnem in cælis glóriam sublimári mereámur. (Per Dóminum.)

Complet. de Dominica.

Scanné avec CamScanner

Die 13 Novembris

In Ecclesiis consecratis, excepta Cathedrali

In Octava Dedicationis Ecclesiæ propriæ

Duplex majus

Officium ut in Communi Dedicationis pro die Octava.

In II Vesperis præcedentis, Commemorationes ut supra.

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in Festo Dedicationis præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III pro die octava assignantur.

In III Nocturno

Pro S. Didaco Conf. Lectio ix, ut in Breviario.

AD LAUDES

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Ad Bened. Ant. Zachæe, * festínans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manére. At ille festínans descéndit, et suscépit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est, allel.

Oratio

DEus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Didaci Conf.:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui dispositióne mirábili infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius humilitáti nostræ: ut, piis beáti Dídaci Confessóris tui précibus, ad perénnem in cælis glóriam sublimári mereámur. (Per Dóminum.)

Deinde Com. Octavæ Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis:

Ant. Sanctificávit Dóminus tabernáculum suum: quia hæc est domus Dei, in qua invocábitur nomen ejus, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dóminus.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Scanné avec CamScanner

Oratio

DEus, qui invisibíliter ómnia cóntines, et tamen pro salúte géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibíliter osténdis : templum hoc poténtia tuæ inhabitatiónis illústra, et concéde; ut omnes, qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiónis tuæ benefícia consequántur. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Domum tuam.

Ad Magnif. Ant. O quam metuéndus est * locus iste : vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli.

Oratio

DEus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes : exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Et fit Commem. sequentis :

Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

EXcita, quæsumus, Dómine, in Ecclésia tua Spíritum, quo replétus beátus Jósaphat Martyr et Póntifex tuus ánimam suam pro óvibus pósuit : ut, eo intercedénte, nos quoque eódem Spíritu moti ac roboráti, ánimam nostram pro frátribus pónere non vereámur. (Per Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritus...)

Deinde Com. S. Didaci :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio Omnípotens, ut supra.

Postea Com. Octavæ Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis :

Ant. Zachæe, festínans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manére. At ille festínans descéndit, et suscépit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est, allelúja.

℣. Hæc est domus.

Oratio Deus, qui invisibíliter, ut supra.

Scanné avec CamScanner

Die 15 Novembris

S. Eugenii

Episcopi et Martyris

Duplex

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Iste sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

Oratio

DEus, qui nos beáti Eugénii, Mártyris tui, confessióne gloriósa circúmdas et prótegis : præsta nobis, quæsumus; ex ejus interventióne gaudére, et oratióne fulcíri. Per Dóminum.

Et fit Commem. præced. :

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

EXcita, quæsumus, Dómine, in Ecclésia tua Spíritum, quo replétus beátus Jósaphat Martyr et Póntifex tuus ánimam suam pro óvibus pósuit : ut, eo intercedénte, nos quoque eódem Spíritu moti ac roboráti, ánimam nostram pro frátribus pónere non vereámur. (Per Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritus...)

Deinde Commem. S. Alberti Magni Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Albérte, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DEus, qui beátum Albértum Pontíficem tuum atque Doctórem, in humána sapiéntia divínæ fídei subjiciénda magnum effecísti : da nobis, quæsumus, ita ejus magistérii inhærére vestígiis : ut luce perfécta fruámur in cælis. (Per Dóminum.)

Postea Com. Octavæ Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis:

Ant. O quam metuéndus est locus iste : vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Oratio

DEus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis re-

Scanné avec CamScanner

præséntas incólumes : exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

EUgénius, in multis mártyrum actis, sancti Dionýsii Parisiénsis Epíscopi sóciis aut discípulis annumerátur. Apud Hispános tradítio est illum a Dionýsio missum ad proferéndum géntibus lumen Evangélii, Tolétum venísse, ubi plúrimos fílios Jesu Christo péperit parénsque Ecclésiæ Toletánæ atque institútor fuit. Quam Ecclésiam a se fundátam ut magis stabilíret et communictási concíliis amplificáret, ad Dionýsium rédiit in Gálliam

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis :* Terra appáruit árida : et in Mari rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v

EO témpore, Domitiáno imperatóre persecutiónem secúndam in christiános movénte, Eugénius comprehénsus fuit a persecutóris satellítibus, ad Diólium vicum, qui non longe distat a Lutétia Parisiórum. De fide sua interrogátus, Christum verum et solum Deum se pia mente cólere cum magna libertáte proféssus est. Qua in confessióne ab impietátis minístris gládio percússus, beátæ passiónis corónam percépit a Dómino, séptimo décimo Kaléndas Decémbris.

℟. Vérbera carnífícum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut héredes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut herédes.

Lectio vi

CORpus Eugénii, ne a christiánis honóre afficerétur, in lacum Mercassínum, eo loco propínquum ubi martýrio coronátus fúerat, projéctum diu látuit, donec vir nóbilis Ercóldus illud invéntum, structo oratório; religióse sepelívit. Exínde ad Ecclésiam sancti Dionýsii translátum, claríssimis célebre signis a finítimis pópulis religióse colebátur. Tandem Ecclésiæ Toletánæ, quam ipse fundáverat et primus Epíscopus réxe-

Scanné avec CamScanner

rat, datum est, uti légitur in martyrológio románo.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos : et in témpore erit respéctus illórum; * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. — Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Nocturno Homilia in Evang. Si quis venit ad me, de Comm. unius Mart. 1 loco. Pro S. Alberto Lectio ix, ut in Breviario.

AD LAUDES

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

DEus, qui nos beáti Eugénii, Mártyris tui, confessióne gloriósa circúmdas et prótegis : præsta nobis, quæsumus; ex ejus interventióne gaudére, et oratióne fulcíri. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Alberti Magni :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

DEus, qui beátum Albértum Pontíficem tuum atque Doctórem, in humána sapiéntia divínæ fídei subjiciénda magnum effecísti : da nobis, quæsumus, ita ejus magistérii inhærére vestígiis : ut luce perfécta fruámur in cælis. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. Octavæ :

Ant. Zachæe, festínans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manére. At ille festínans descéndit, et suscépit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est, allelúja.

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Oratio

DEus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes : exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commem. præced. :

Ant. Qui vult venire post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma.

Oratio Deus, qui nos, ut supra.

Deinde Commem. S. Alberti Magni :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Albérte, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit.

Oratio Deus, qui beátum, ut supra.

Postea Commem. Octavæ :

Ant. O quam metuéndus est locus iste : vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Oratio Deus, qui nobis, ut supra.

Diebus 14, 16 et 17 Novembris

Pro Commem. Octavæ Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis, ut in die 15.

Die tamen 17, in I Vesp. sequ. pro commemoratione Octavæ mutatur Oratio et dicitur Oratio : Deus, qui invisibíliter, ut infra.

Die 18 Novembris

Pro Commemoratione

Octavæ Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis

AD LAUDES

Ant. Sanctificávit Dóminus tabernáculum suum : quia hæc est domus Dei, in qua invocábitur nomen ejus, de quo scriptum est : Et erit nomen meum ibi, dicit Dóminus.

℣. Domum tuam.

Oratio

DEus, qui invisibíliter ómnia cóntines, et tamen pro salúte géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibíliter osténdis : templum hoc poténtia tuæ inhabitatiónis illústra, et concéde; ut omnes, qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiónis tuæ benefícia consequántur. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præced., S. Elisabeth Viduæ, ac S. Pontiani Papæ et Martyris, ut infra. Sabbato tamen, in II Vesperis Dedicationis Basilicarum Ss. Petri et Pauli dicitur Oratio Deus qui nobis, et pro Commemoratione Octavæ Dedicationis Cathedralis, quæ fit post Commemorationem Dominicæ sequentis, dicitur Oratio Deus qui invisibíliter.

Scanné avec CamScanner

Sabbato Complet. de Dominica; aliis diebus de Feria.

Die 19 Novembris

In Octava Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in Festo Dedicationis præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis ℟℟. de Tempore, in II et III pro die octava assignantur.

IN I VESPERIS

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Ad Magnif. Ant. Sanctificávit Dóminus * tabernáculum suum : quia hæc est domus Dei, in qua invocábitur nomen ejus, de quo scriptum est : Et erit nomen meum ibi, dicit Dóminus.

Oratio

DEus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes : exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Et fit Commem. præced. :

Ant. O quam metuéndus est locus iste : vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Oratio

DEus, qui invisibíliter ómnia cóntines, et tamen pro salúte géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibíliter osténdis : templum hoc poténtia tuæ inhabitatiónis illústra, et concéde; ut omnes, qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiónis tuæ benefícia consequántur. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. S. Elisabeth Vid. :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæränti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, prósperе procéde, et regna.

Oratio

TUórum corda fidélium, Deus miserátor, illústra : et, beátæ Elísabeth

précibus gloriósis; fac nos próspera mundi despícere, et cæléstі semper consolatióne gaudére. (Per Dóminum.)

Postea Commem. S. Pontiani Papæ et Martyris :

Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus intende : et per beátum Pontiánum Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Eclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

In III Nocturno

Pro S. Elisabeth Vidua Lectio ix, ut in Breviario.

AD LAUDES

Ant. Zachæe, festínans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manére. At ille festínans descéndit; et suscépit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est, allelúja.

℣. Hæc est domus et Oratio Deus, qui nobis, ut supra.

Et fit Com. S. Elisabeth :

Ant. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Deinde Com. S. Pontiani :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

IN II VESPERIS

Ant. O quam metuéndus, ℣. Domum tuam et Oratio Deus, qui nobis, ut supra.

Et fit Commem. sequ. ac S. Elisabeth, ut in Breviario.

Die 21 Novembris

In Præsentatione B. M. V.

Duplex majus

Omnia ut in Breviario præter seq.

IN UTRISQUE VESPERIS

Hymnus

QUam pulchre gráditur fília Príncipis,
Templi cum próperat límina tángere!

Prælúdit melióri,
Quam mox ófferet hóstiam.

E matris grémio, Núminis in sinum
Infans non dúbiis pássibus ádvolat;
Virgo Núminis ara,
Aris víctima sístitur!

Sponso membra Deo móllia dévovet;
Cordis virgínei dédicat íntima;
Verbo débita mater,
Verbo víscera cónsecrat.

Tecum cuncta Deo pródiga dum voves,
Numen, Virgo, tui péctoris íncola,
Quanto fœnore pensat
Terræ quæ bona déspicis?

Quid nos illáqueant ímproba gáudia?
Cur jam nos pígeat víncula rúmpere?
Dux est Virgo sacérdos,
Fas sit quo próperat sequi.

Ergo nunc tua gens se tibi cónsecrat;
Ergo nostra manes pórtio, tu Deus,
Qui, de Vírgine natus,
Per nos sæpe renásceris.

Sit supréma tibi glória, Trínitas;
Quo Virgo téneram se vovet hóstiam,
Puri flamen amóris,
Fac nos jam tibi vívere.
Amen.

Die 27 Novembris

In manifestatione Immaculatæ Virginis Mariæ a Sacro Numismate

Duplex majus

IN I VESPERIS

Ant. 1 Tota pulchra * es, María, et mácula originális non est in te.

Psalmi ut in Communi Festorum B. M. V.

2 Vestiméntum tuum * cándidum quasi nix, et fácies tua sicut sol.

3 Tu glória Jerúsalem * tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri.

4 Benedícta es tu, * Virgo María, a Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super terram.

5 Trahe nos, * Virgo immaculáta, post te currémus in odórem unguentórum tuórum.

Capit. Prov. 8, 22-24

DOminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abýssi, et ego jam concépta eram.

Scanné avec CamScanner

Prima stropha sequentis Hymni dicitur flexis genibus.

Hymnus

AVE, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos, culpis solútos,
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut, vidéntes Jesum,
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus.

Amen.

℣. Signum magnum appáruit in cælo. ℟. Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus.

Ad Magnif. Ant. Qui me invénerit, * invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

Oratio

DOmine Jesu Christe, qui beatíssimam Vírginem Maríam Matrem tuam ab orígine immaculátam innúmeris miráculis claréscere voluísti: concéde; ut ejúsdem patrocínium semper implorántes, gáudia consequámur ætérna: Qui vivis et regnas.

Et fit Commem. præced.:

Ant. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

CLementíssime Deus, qui sanctum Silvéstrum Abbátem, sæculi hujus vanitátem in apérto túmulo pie meditántem, ad erémum vocáre, et præcláris vitæ méritis decoráre dignátus es: te súpplices exorámus; ut, ejus exémplo terréna despiciéntes, tui consórtio perfruámur ætérno. Per Dóminum.

Complet. de Dominica.

Ad Compl. et per Horas diei Conclusio

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.

Amen.

Scanné avec CamScanner

AD MATUTINUM

Invit. Immaculátam Conceptiónem Vírginis Maríæ celebrémus : * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

TUtéla præsens ómnium,
Salvéto Mater Núminis;
Intácta in Hevæ fíliis,
Tu fœda mundes péctora.

Numísma quos ornat tuum,
Fove benígno lúmine;
Virtus sit inter prælia
Ægísque in hostes præpotens.

Sit fléntibus solátium,
Ægris levámen ártubus;
In mortis hora, fúlgidæ
Æternitátis spónsio.

Jesu, tuam qui fíniens
Matrem dedísti sérvulis,
Precánte Matre, fíliis
Largíre cæli gáudia.
Amen.

In I Nocturno

Ant. Admirábile est nomen tuum, * Dómine, in univérsa terra, quia in Vírgine María dignum tibi habitáculum præparásti.

Pss. trium Noct., ut in Comm. Festorum B. M. V.

Ant. In sole pósuit * Deus tabernáculum suum.

Ant. In Conceptióne sua * accépit María benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo.

℣. Qui me invénerit invéniet vitam. ℟. Et háuriet salútem a Dómino.

De Apocalýpsi beáti Joánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 12, 1-18

SIgnum magnum appáruit in cælo : Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, et in cápite ejus coróna stellárum duódecim : et in útero habens, clamábat partúriens, et cruciabátur ut páriat. Et visum est áliud signum in cælo : et ecce draco magnus, rufus, habens cápita septem, et córnua decem; et in capítibus ejus diadémata septem : et cauda ejus trahébat tértiam partem stellárum cæli, et misit eas in terram, et draco stetit ante mulíerem, quæ erat paritúra; ut, cum peperísset, fílium ejus devoráret. Et péperit fílium másculum, qui rectúrus erat omnes gentes in virga férrea; et raptus est fílius ejus ad Deum, et ad thronum ejus; et múlier fugit in solitúdinem, ubi habébat locum parátum a Deo, ut ibi pascant eam diébus mille ducéntis sexagínta.

Scanné avec CamScanner

℟. Per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, in quo omnes peccavérunt. * Ne timeas, María, invenísti grátiam apud Deum. ℣. Erípuit Dóminus ánimam tuam de morte, et contra inimícum factus est protéctor tuus. — Ne.

Lectio ii

ET factum est prælium magnum in cælo : Míchaël et Angeli ejus præliabántur cum dracóne, et draco pugnábat, et ángeli ejus : et non valuérunt, neque locus inventus est eórum ámplius in cælo. Et projéctus est draco ille magnus, serpens antíquus, qui vocátur diábolus, et sátanas, qui sedúcit univérsum orbem : et projéctus est in terram, et ángeli ejus cum illo missi sunt. Et audívi vocem magnam in cælo dicéntem : Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potéstas Christi ejus : quia projéctus est accusátor fratrum nostrórum, qui accusábat illos ante conspéctum Dei nostri die ac nocte. Et ipsi vicérunt eum propter sánguinem Agni et propter verbum testimónii sui, et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem. Proptérea lætámini, cæli, et qui habitátis in eis. Væ terræ et mari, quia descéndit diábolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod módicum tempus habet.

℟. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me : * Et narrábo vobis quanta fecit Deus ánimæ meæ. ℣. Vivit Dóminus, quóniam adimplévit in me misericórdiam suam. — Et.

Lectio iii

ET postquam vidit draco quod projéctus esset in terram, persecútus est mulíerem, quæ péperit másculum; et datæ sunt mulíeri alæ duæ áquilæ magnæ, ut voláret in desértum in locum suum, ubi álitur per tempus et témpora et dimídium témporis, a fácie serpéntis. Et misit serpens ex ore suo post mulíerem, aquam tamquam flumen, ut eam fáceret trahi a flúmine. Et adjúvit terra mulíerem; et apéruit terra os suum, et absórbuit flumen, quod misit draco de ore suo. Et irátus est draco in mulíerem : et ábiit fácere prælium cum réliquis de sémine ejus, qui custódiunt mandáta Dei, et habent testimónium Jesu Christi. Et stetit supra arénam maris.

℟. Elécta mea cándida sicut nix in Líbano; sicut

favus distíllans lábia ejus : * Mel et lac sub lingua illíus. ℣. Veni de Líbano, sponsa mea, veni, coronáberis coróna gratiárum. — Mel. Glória Patri. Mel.

In II Nocturno

Ant. Diffúsa est grátia * in Conceptióne ejus, et speciósa appáruit inter fílias hóminum.

Ant. Adjúvit eam Deus * mane dilúculo; sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Ant. Gloriósa dicta sunt * de te, cívitas Dei : fundávit te Dóminus in móntibus sanctis.

℣. Mélior est fructus meus auro. ℟. Et genímina mea argénto elécto.

Lectio iv

ANno Christi millésimo octingentésimo trigésimo, quod legítima testántur monuménta, beatíssima Dei Mater sanctimoniáli cuídam féminæ, Catharínæ Labouré nuncupátæ, e família puellárum Caritátis sancti Vincéntii a Paulo, sese vidéndam exhíbuit; eamdémque jussit curáre ut Numísma in honórem Immaculátæ Conceptiónis suæ cuderétur. Cudéndi autem ea lex erat ex visu, ut in advérsa fronte Deíparæ prostáret effígies, virgíneo quidem pede serpéntis próterens caput, mánibus vero pátulis subjéctum terræ orbem rádiis illústrans; inscrípta circumcírca ea prece : O María concépta sine peccáto, ores pro nobis qui ad te confúgimus. Inésse autem in fronte avérsa sacrosánctum Maríæ nomen debébat, eminénte supra crucis signo, binis inférius adjéctis Córdibus, áltero óbsito spinis, áltero ense transfósso. Jubénti Vírgini páruit puélla; remque divínitus accéptam evéntus comprobávit. Vix enim novum Numísma in vulgus pródiit, íllico a christifidélibus, uti relígio Matri sanctíssimæ pergráta, coli certátim ac gestári cœptum; in Gállia primum, mox, probántibus epíscopis, ubíque terrárum. Cujus augescéntis in dies reveréntiæ ac fidúciæ id causæ fuit, quod a Vírgine respiciénte plúrima patrabántur mira seu córporis ærúmnis levándis seu ánimis e vitiórum cœno eruéndis.

℟. Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram : ego feci in cælis ut orirétur lumen indefíciens. * Nondum erant abýssi, et ego jam concépta eram. ℣. Deus enim creávit me

in justítia, et apprehéndit manum meam, et servávit me. — Nondum.

Lectio v

IN his illud præ céteris memorátu dignum, quod Alphónso Ratisbónne Romæ cóntigit décimo tértio Kaléndas Februárii anno millésimo octingentésimo quadragésimo secúndo, legítimo ecclesiásticæ auctoritátis testimónio comprobátum. Argentoráti Judáicis ortus paréntibus, in Oriéntem iter fáciens Alphónsus Romæ substíterat. Ubi cum amicítiam cum nóbili viro, ex hæresi ad cathólica sacra convérso, junxísset, is, adolescéntis miserátus vicem, omni ope conténdit ut illum ad veram Christi religiónem tradúceret. Nihil tamen verbis proféctum; unum hoc impetrátum, ut hebræus hómo sacrum Deíparæ Numísma e collo pendens deférret. Preces ínterim pro eo ad Vírginem Immaculátam adhibebántur. Nec diu Virgo exoráta auxílium conférre dístulit. Nam, cum Alphónsus templum sancti Andréæ in vico nemorénsi, vulgo delle Fratte, fortúitu sub meridiem esset ingréssus, repénte illi ædes obscurári visa, una excépta Archángeli Michaélis cella, unde vivídior contra lux emicábat. Eo dum, horróre corréptus, advértit óculos, ecce illi beáta Virgo María conspiciéndam se præbet vultu mitíssimo, eóque hábitu quo in sacro Numísmate refértur. Cælésti visu súbito immutári Alphónsus; tum lácrimis perfúsus judáicam abhorrére perfídiam, et cathólicam religiónem, quam paulo ante detestabátur, veram profitéri totóque péctore amplécti. Christiána dógmata edóctus, paucis post diébus, commúni Urbis lætítia, sacro baptísmate lustrátus est.

℟. Nihil inquinátum in eam incúrrit : * Candor est lucis ætérnæ et spéculum sine mácula. ℣. Est enim hæc speciósior sole, et luci comparáta invenítur púrior. — Candor.

Lectio vi

TAntæ ígitur pientíssimæ Matris per sacrum Numísma poténtiæ ac liberalitátis ut memória recolerétur, simúlque christianárum géntium erga Immaculátam ejúsdem Vírginis Conceptiónem relígio amplióres habéret auctus, cénsuit Apostólica Sedes, quod dudum ab ea pro sacratíssimo Rosário et carmelí-

tico Scapulári concéssum fúerat, Manifestatiónem hanc sanctíssimæ Dei Paréntis et sacrum ipsíus Numísma peculiári festo quotánnis commemoránda. Quam ob rem, tota factórum série a Sacra Rituum Congregatióne recógnita maturéque perpénsa, ex ejúsdem Congregatiónis consúlto, Leo décimus tértius Póntifex máximus societáti Presbyterórum sancti Vincéntii a Paulo, quibus ex sancti auctóris lege solémne semper fuit illábem Maríæ orígínem profitéri et cólere, Manifestatiónis ejúsdem beátæ Vírginis Offícium et Missam celebráre concéssit, idémque indúltum ad síngulos epíscopos ac Religiosórum famílias peténtes exténdit.

℣. Signum magnum appáruit in cælo : Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus : * Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. ℣. Induit eam Dóminus vestiméntis salútis, induménto justítiæ, et quasi sponsam ornávit eam monílibus suis. — Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Ant. Sanctimónia et magnificéntia * in Conceptióne ejus; annuntiáte in ómnibus pópulis glóriam ejus.

Ant. Lætámini omnes * in Dómino : et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Ant. Notum fecit Dóminus * opus suum : in conspéctu géntium revelávit glóriam Genitrícis suæ.

℣. Esto mihi in domum refúgii. ℟. Ut salvum me fácias.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 2

IN illo témpore : Núptiæ factæ sunt in Cana Galilææ : et erat Mater Jesu ibi. Vocátus est autem et Jesus, et discípuli ejus, ad núptias. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis

Dom. I post Epiph. Sermo 1

VInum non habent. Compássa est María eórum verecúndiæ, sicut miséricors, sicut benignissima. Quid de fonte pietátis procéderet, nisi pietas? Quid, inquam, mirum si pietátem éxhibent víscera pietátis? Nonne qui pomum in manu sua tenúerit dimídia die, réliqua diéi parte pomi servábit odórem? Quantum ígitur víscera illa virtus pietátis affécit, in quibus novem ménsibus requiévit? Nam et

Scanné avec CamScanner

ante mentem replévit quam ventrem, et cum procéssit ex útero, ab ánima non recéssit. Dúrior fortásse et austérior vidéri posset respónsio Dómini; sed nóverat ille cui loquerétur; et quis loquerétur illa non ignorábat. Déniique ut scias, quómodo respónsum ipsum accéperit, aut quantum de Fílii benignitáte præsúmpserit, ait minístris : Quæcúmque præcéperit vobis, serváte et fácite.

℟. Hortus conclúsus soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus : * Emissiónes tuæ paradísus, o María. ℣. Aperi mihi, soror mea, amíca mea, colúmba mea, immaculáta mea. — Emissiónes.

Lectio viii

Ibid. Sermo 2

QUid mihi et tibi est, múlier? Quid tibi et illi est, Dómine? Nonne quod fílio et matri? Quid ad illam pértines quæris, cum tu sis benedíctus fructus ventris ejus immaculáti? Non ipsa est, quæ salvo pudóre concépit et sine corruptióne te péperit? Nonne ipsa est, in cujus útero novem ménsibus morátus es, cujus virgíneis ubéribus lactátus es, cum qua jam duódecim annórum factus de Jerúsalem descendísti, et eras súbditus illi? Nunc ergo, Dómine, quid moléstus es illi, dicens : Quid mihi et tibi? Multum per omnem modum. Sed maniféste jam vídeo, quod non velut indígnans aut confúndere volens Vírginis Matris téneram verecúndiam, díxeris : Quid mihi et tibi? Cum, veniéntibus ad te juxta Matris præcéptum minístris, nihil cunctátus fácias quod illa suggéssit.

℟. Magnífícat ánima mea Dóminum, * Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. — Quia. Glória Patri. Quia.

Lectio ix

Serm. de duod. prærogat.

QUid ergo ad Maríam accédere trépidet humána fragílitas? Nihil áusterum in ea, nihil terríbile : tota suávis est, ómnibus ófferens lac et lanam. Revólve diligéntius evangélicæ históriæ sériem univérsam, et si quid forte increpatórium, si quid durum, si quod dénique signum vel ténuis indignatiónis occúrrerit in María, de cétero suspéctam hábeas, et accédere vereáris. Quod si, ut vere

Scanné avec CamScanner

sunt, plena magis ómnia pietátis et grátiæ, plena mansuetúdinis et misericórdiæ, quæ ad eam pértinent invéneris, age grátias ei, qui talem tibi mediatrícem benignissima miseratióne provídit, in qua nihil potest esse suspéctum; quæ ómnibus misericórdiæ sinum áperit, ut de plenitúdine ejus accípiant univérsi : captívus redemptiónem, æger curatiónem, tristis consolatiónem, peccátor véniam, justus grátiam, ut non sit, qui se abscóndat a calóre ejus.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ

1 Tota pulchra * es, María, et mácula originális non est in te.

Psalmi de Dominica.

2 Vestiméntum tuum * cándidum quasi nix, et fácies tua sicut sol.

3 Tu glória Jerúsalem, * tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri.

4 Benedícta es tu, * Virgo María, a Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super terram.

5 Trahe nos, * Virgo immaculáta, post te currémus in odórem unguentórum tuórum.

Capit. Prov. 8, 22-24

DOminus possédit me in initio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abýssi, et ego jam concépta eram.

Hymnus

O Gloriósa vírginum,
Sublímis inter sídera,
Qui te creávit, párvulum
Lacténte nutris úbere.

Quod Heva tristis ábstulit,
Tu reddis almo gérmine :
Intrent ut astra flébiles,
Cæli reclúdis cárdines.

Tu Regis alti jánua,
Et aula lucis fúlgida :
Vitam datam per Vírginem,
Gentes redémptæ, pláudite.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. O María, sine labe originali concépta. ℟. Intercéde pro nobis, qui ad te confúgimus.

Ad Bened. Ant. Pósuit in ea verba * signórum suórum et prodigiórum suórum in terra.

Scanné avec CamScanner

Oratio

DOmine Jesu Christe, qui beatíssimam Vírginem Maríam Matrem tuam ab orígine immaculátam innúmeris miráculis claréscere voluísti : concéde; ut ejúsdem patrocínium semper implorántes, gáudia consequámur ætérna : Qui vivis et regnas.

AD PRIMAM

Ant. Tota pulchra.

In ℟. br. dicitur ℣. Qui natus es de María Vírgine.

Ad absolutionem Capituli Lectio brevis Signum magnum, ut ad Nonam.

AD TERTIAM

Ant. Vestiméntum.

Capitulum Dóminus possédit, ut supra.

℟. br. Deus omnípotens * Præcínxit me virtúte. Deus. ℣. Et pósuit immaculátam viam meam. Præcínxit. Glória Patri. Deus. ℣. In hoc cognóvi quóniam voluísti me. ℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

AD SEXTAM

Ant. Tu glória.

Capit. Ezech. 44, 1-3

POrta hæc clausa erit; non aperiétur, et vir non intrábit per eam, quóniam Dóminus Deus Israël ingréssus est per eam : erítque clausa Príncipi. Princeps ipse sedébit in ea.

℟. br. In hoc cognóvi, * Quóniam voluísti me. In hoc. ℣. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me. Quóniam voluísti. Glória Patri. In hoc. ℣. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me. ℟. Nec delectásti inimícos meos super me.

AD NONAM

Ant. Trahe nos.

Capit. Apoc. 12, 1

SIgnum magnum appáruit in cælo : Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, et in cápite ejus coróna stellárum duódecim.

℟. br. Exaltábo te, Dómine, * Quóniam suscepísti me. Exaltábo. ℣. Nec delectásti inimícos meos super me. Quóniam suscepísti. Glória. Exaltábo.

℣. Immaculáta Concéptio tua, Dei Génitrix Virgo. ℟. Gáudium annuntiávit univérso mundo.

IN II VESPERIS

Omnia ut in I Vesperis, præter :

℣. Signum magnum appáruit in cælo. ℟. Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus.

Scanné avec CamScanner

Ad Magnif. Ant. Sancta María, * succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuum sanctum Patrocínium.

Oratio

DOmine Jesu Christe, qui beatíssimam Vírginem Maríam Matrem tuam ab orígine immaculátam innúmeris miráculis claréscere voluísti : concéde; ut ejúsdem patrocínium semper implorántes, gáudia consequámur ætérna : Qui vivis et regnas.

Complet. de Dominica.

FESTA DECEMBRIS

Die 1 Decembris

S. Eligii

Episcopi et Confessoris

Semiduplex

In II Vesperis S. Andreæ fit Commem. seq. :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DEus, fidélium lumen et pastor animárum, qui beátum Elígium Epíscopum in Ecclésia posuísti, ut oves tuas verbo pásceret et informáret exémplo : da nobis ejus intercessióne; et fidem serváre quam verbo dócuit, et viam sequi quam exémplo monstrávit. Qui vivis.

Deinde Commem. Feriæ.

In II Nocturno

Lectio iv

ELígius Lémovix, aurífaber indústrius, relícta regióne Parísios se cóntulit, ubi perítiæ ejus fama Clotário secúndo innótuit. Sanctióris vitæ desidério accénsus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomologésim fecit coram sacerdóte, et perácta gravi pœniténtia de reconciliatióne sua divínitus cértior factus est. Ex eo témpore, in ópera pietátis omni stúdio incúbuit. Jam cum artem exercébat, subínde in sacros códices intendébat óculos, ita ut mens Deo vacáret, dum manus úsibus serviébant humánis. Quidquid vero arte sua comparábat, illud totum fovéndis egénis et captívis, rerum étiam sibi necessariárum dispéndio,

Scanné avec CamScanner

rediméndis erogábat. Hinc tantus ad eum fiébat páuperum concúrsus, ut quæ-rénti domum Elígii dice-rétur : Ubi páuperum cœ-tum conspéxeris, illic et Elígium repéries. Intra domum autem vacábat oratióni cum familiáribus, qui diu noctúque in ejus cubículo canónicum offí-cium solémniter adimplé-bant. Callíaci ad Yvét-tam, ut ab aulæ tumúltu recéderet, sibi paráverat prædium, quod póstea in sancti Elígii priorátum convérsum est.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Ni-hil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v

NON minus accéptus Dagobérto quam Clo-tário patri, et ab illo ad Armoricórum regem, pa-cis componéndæ causa, missus, reges ambos Rio-lii félici fœdere sociávit. Vária ejus hortátu et im-pénsis exstrúcta sunt tem-pla et monastéria. Solem-niacénse in Lemovícibus cœnóbium cóndidit. Pari-siis monastérium vírgi-num, ad quarum córpora sepeliénda Ecclésiam san-cti Pauli constrúxit. In-staurávit íbidem basílicam sancti Martiális, in quam cum sancti Epíscopi relí-quiæ deportaréntur, ac juxta cárcerem, ex Elígii consílio, psalléntium chori procéderent, óstia obse-ráta vinctis cælitus patué-runt. Plúrima divérsis tempóribus auro, argénto et gemmis ornávit sepúl-cra sanctórum, Germáni vidélicet, Severíni Agau-nénsis, Martíni, Quintíni, Genovéfæ et aliórum; mausoléum ímprimis Már-tyris Dionýsii miro artí-fício decorávit. De Eccié-siæ disciplína sollícitus, simoníacam labem, quæ altas in Gállia rádices égé-rat, junctis cum Audoéno stúdiis, extirpávit, effécit-que cum eo, ne quis deín-ceps Epíscopus eligerétur, nisi qui integritáte morum cæteris præfulgéret.

℟. Pósui adjutórium su-per poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxi-liábitur ei. ℣. Invéni Da-vid servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi

TOT in Ecclésiam mé-ritis clarus, mórtuo Achário, Diœcési Novio-ménsi præpósitus est. Non modo salúti gregis sibi commíssi consúluit; sed et

Scanné avec CamScanner

Flandros ac Frísios, aliósque ad Septentriónem pópulos, non sine magno labóre et vitæ discrímine, ad Christum addúxit. Noviómi exstrúxit monastérium, ubi vitæ institutiónem distrîctam índidit. Tum ejus ópera, tum a discípulis ejusália cœnóbia, et ecclésiæ intra Gállias ædificántur. Imo non pauci ex sóciis ejus in régimen episcopále sublimáti sunt. Sedit in concílio Cabillónensi sub Clodovéo secúndo. Multa præcláre scripsit, ejécit dæmones, futúra divínitus prædíxit, áliis miráculis illústris fuit. Noviómi óbiit septuagenárius. Ejus funus regína Bathíldis pédibus, nec sine lácrymis, cum líberis et tota família prosecúta est. Caput ejus póstea Calam allátum íbidem hucúsque religióse asservátur. Unum vero ex óssibus bráchii ab Episcopo et Capítulo Novioménsi Ecclésiæ Parisiénsi donátum est anno millésimo ducentésimo duodécimo.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homilia in Evang. Homo péregre proficíscens, de Communi I loco.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DEus, fidélium lumen et pastor animárum, qui beátum Elígium Epíscopum in Ecclésia posuísti, ut oves tuas verbo pásceret et informáret exémplo : da nobis ejus intercessióne; et fidem serváre quam verbo dócuit, et viam sequi quam exémplo monstrávit. Qui vivis.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commem. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit.

Oratio Deus, fidélium, ut supra.

Scanné avec CamScanner

INDEX OFFICIORUM

FESTA AUGUSTI

27, 28, 29, 30 et 31 Octavæ S. Ludovici Conf. *Commemoratio* . 9
31 B. Isabellæ *Commemoratio* 10

FESTA SEPTEMBRIS

1 Octava S. Ludovici Conf., *duplex majus* 11
2 Bb. Joannis Mariæ et Sociorum Mart., *duplex majus* . . 18
3 S. Juliani Brivatensis Patroni Civit. Versal. Mart. In Civitate : *Duplex I classis* cum Oct. — In Diœcesi : *duplex majus* 22
4 *Pro Clero Versaliis degente :* De 2ª diei infra Oct., *semidupl.* 25
5 S. Æterni Ep. et Mart., *duplex* 28
6 *Pro clero Versaliis degente :* De 4ª die infra Octavam S. Juliani, *semiduplex* 31
7 S. Clodoaldi Conf., *duplex* 34
9 S. Corbiniani Ep. et Conf., *duplex* 36
10 Octava S. Juliani Mart., *duplex majus* 39

FESTA OCTOBRIS

1 S. Remigii Ep. et Conf., *duplex majus* 43
3 S. Teresiæ a Jesu Infante, Patrona minus princ. Galliæ Virg., *duplex II classis* 45
9 Ss. Dionysii et Soc. Mart., *duplex majus* 55
12 Ss. Nicasii Ep. et Soc. Mart., *duplex II classis* . . . 62
22 S. Melloni Ep. et Conf., *simplex* 65
23 S. Romani Ep. et Conf., *duplex* 66

FESTA NOVEMBRIS

5 Ss. Reliquiarum, *duplex majus* 68
6 Dedicatio Ecclesiæ Propriæ, *duplex I classis* cum Octava communi 78
11 S. Martini Ep. et Conf., *duplex majus* 78
12 Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis, *dupl. I classis* cum Octava communi 79
13 Octava Dedicat. Ecclesiæ propriæ, *duplex majus* . . . 79
15 S. Eugenii Ep. et Mart., *duplex* 82
19 Octava Dedicat. Ecclesiæ Cathedralis, *duplex majus* . . 86
21 Præsentationis B. M. V., *duplex majus* 87
27 Manif. Immac. Virg. Mariæ a Sacro Numismate, *dupl. maj.* 88

FESTUM DECEMBRIS

1 S. Eligii Ep. et Conf., *semiduplex* 98

Scanné avec CamScanner

INDEX LOCORUM

DE QUIBUS FIT MENTIO IN OFFICIIS PROPRIIS

ECCLESIÆ VERSALIENSIS

PARS AUTUMNALIS

ABRINCÆ, Avranches, ch. l. d'arr. (Manche).
ABRINCENSIS, d'Avranches.
ALAMANNI, Germains, Allemands.
ALENSONII, Alençon.
ARELATE, Arles (Bouches-du-Rhône).
ARELATENSIS, d'Arles.
ARGENTORATUM, Strasbourg.
ARMORICA, la Bretagne actuelle.
ARPAJONIUM, Arpajon (S.-et-O.).
ARVERNUS, d'Auvergne, ARVERNIA.
ATHENÆ, Athènes.
ATHENIENSIS, d'Athènes.
ATREBATUM, Arras (Pas-de-Calais).
ATREBATES, les habitants du Pas-de-Calais.

BAVARIA, la Bavière (Allemagne).
BURGUNDI, les Bourguignons.

CABILLONUM, Châlon-sur-Saône (Saône-et-Loire).
CABILLONENSIS, de Châlon-sur-Saône.
CALA, Chelles (Seine-et-Marne).
CALLIACUM, Chilly, c. de Longjumeau (S.-et-O.).
CAMPUS-LONGUS, Longchamps, près Paris.
CASTRUM, Châtres, auj. Arpajon (S.-et-O.).
COLONIA, Cologne.
COLONIENSIS, de Cologne.
CONSTANTINOPOLIS, Constantinople.
CROCIACUM, Croissy, c. de Saint-Germain (S.-et-O.).

DIOLIUM, Deuil, c. de Montmorency (S.-et-O.).
DIONYSIUS (SANCTUS), Saint-Denys, près Paris.

EBROICUM, Evreux (Eure).
EBROICENSIS, d'Evreux.

FLANDRI, les habitants de la Flandre, FLANDRIA.
FRISII, les Frisons, habitants de la Frise (Hollande et Prusse rhénane).
FRISINGÆ, FRISINGENSIS, Frisinge, ville de Bavière; de Frisinge.

Scanné avec CamScanner

GANIACUM, Gasny, c. d'Ecos (Eure).
GERMANUS IN LIDA (SANCTUS), Saint-Germain-en-Laye (S.-et-O.).
GOTHI, les Goths.

HISPANIA, l'Espagne.

ISARA, l'Oise, rivière.
ITTA, l'Epte, rivière (Oise, Seine-et-Oise, Eure).

LAUDUNUM, Laon (Aisne).
LEMOVICES, Limoges (Haute-Vienne).
LEODICUM, Liége (Belgique).
LEODIENSIS, de Liége.
LEXOVIENSIS, de Lisieux.
LEXOVIUM, Lisieux (Calvados).
LUSARCA, Luzarches (S.-et-O.).
LUTETIA, Paris.

MALMUNDARIUM, Malmédy, à 36 kilomètres d'Aix-la-Chapelle (Belgique).
MALMUNDARIENSIS, de Malmédy.
MELLENTUM, Meulan (S.-et-O.).
MERCASSINUS LACUS, le Lac Marchais, paroisse de Deuil (S.-et-O.).
MONTICAS JUXTA SEQUANAM, Mousseaux, c. de Bonnières (S.-et-O.).
NOBILIACUM MONASTERIUM, St-Léonard-le-Noblac, c. de Limoges (Haute-Vienne).

NOVIENTUM, Nogent, ancien nom de Saint-Cloud (S.-et-O.).
NOVIOMENSIS, de Noyon.
NOVIOMUM, Noyon.

PONTISARA, Pontoise (S.-et-O.).
PROVINCIA, la Provence.

RHEMI, seu Remi, Reims.
RHOTOMAGUS, Rouen.
RIOLIUM, Rueil, c. de Marly-le-Roi (S.-et-O.).
RUPES-GUIDONIS, la Roche-Guyon, c. de Magny (S.-et-O.).

SOLEMNIACENSIS, de Solignac, en Limousin.
SUESSIONES, Soissons, (Aisne).
SUESSIONENSIS, de Soissons.

TERUANNA, Thérouanne (Pas-de-Calais).
TOLBIACUM, Tolbiac, auj. Zulpich, près de Cologne (Prusse rhénane).
TOLETUM, Tolède, ville d'Espagne.
TURONES, Tours.
TURONENSIS, de Tours.

VALLES secus Pontisaram, fons Nicasii, Vaux, c. de Meulan (S.-et-O.) où est la fontaine de Saint-Nicaise.

Scanné avec CamScanner

VARANDRA, Vardes (Seine-Inférieure).
VELOCASSES, les habitants du Vexin.
VI, WY, dit Joli-Village, c. de Magny (S.-et-O.).
VIENNA, Vienne (Isère).
VIENNENSIS, de Vienne.
VILLARE-BELLUM, Villiers-le-Bel, c. d'Ecouen (S.-et-O.).

YVETTA, l'Yvette, rivière de Seine-et-Oise, qui se jette dans l'Orge.

Scanné avec CamScanner